
6
6 D
54
LEGATORIA


6-6-D-54

15 1/2 v°s ARS 1604

HISTORICA LAVRENTII DVCCII

In qua non modo laudabiliter Historiæ conſcribendæ præcepta traduntur;

VERVM ETIAM NOBILIORES Hiſtorici Antiqui, Recentioresq́ examinantur.



FERRARIAE,

Apud Victorium Baldinum Typographum Cameralem.

Superiorum Permiſſu. M. DCIV.

INDEX CAPITVLORVM.

INDEX MATERIARVM.

Quæ

I I

INDEX
AVTHORVM.


ERRA-

ERRATA. CORRIGO.


ostendunt	*ostendendum*	*pag. 12. ver. 25*
deducere	*ducere*	*17. 4.*
narrationem	*cognitionem*	*19. 3.*
præsupponatur	*præsupponat*	*35. 31.*
pro	*per*	*39. 15.*
nostrarum	*nostrorum*	*41. 26.*
nam	*non*	*42. 10.*
efficiendis	*efficiendi*	*45. 4.*
factum	*factu*	*55. 8.*
deiudicari	*diiudicari*	*55. 9.*
percipientur	*Percipiantur*	*56. 32.*
fiat	*fiant*	*57. 6.*
quarum	*quorum*	*58. 7.*
tanquam	*tamq;*	*58 16.*
Petenda	*Petendam*	*66. 29.*
debent	*debet*	*75. 17.*
sentiet	*sentiret*	*81. 2.*
facimus	*facinus*	*82. 18.*
instruenda	*instituenda*	*87. 24.*
eneundum	*inehndum*	*87 26.*
totius	*tutius*	*87. 28.*
Historias	*Historicis*	*89. 27.*
quantumq;	*quantamq;*	*105. 20.*
Quale	*Qualis*	*105. 29.*
In	*vacat*	*108. 5.*
Initium	*Initum*	*110. 26.*
Regum	*Regnum*	*110. 32.*
ostenderet	*ostenderent*	*111 1.*
castramentandi	*castrametandi*	*113. 27.*
idq; exitist	*vacat*	*114. 10.*
exuitur	*exhibetur*	*115. 28.*
Ilargius	*Largius*	*116. 21.*
spectant	*spectet*	*116. 28.*

liberam


Errata.	Corrigo.	
liberam	*liberum*	*118.23.*
orſa	*orta*	*120.7.*
adulterium	*ad vlterius*	*122.21.*
admittere	*dimitteret*	*128.13.*
auertere	*accerſere*	*129.19.*
autoritates	*autoritas*	*129.23.*
Qui	*quæ*	*131.30.*
ſubiecta	*ſubiectum*	*132.22.*
illa	*illam*	*135.18.*
Hiſtoricus	*vacat*	*145.3.*
Habebat in	*Habebat ſi in*	*151.31.*
Profitetur	*profiteatur*	*156.19.*
urgenti	*vrgente*	*156.23.*
ſunt	*ſint*	*157.28.*
Agens	*Agentem*	*159.15.*
eius	*ei. bis*	*160.5.*
Non	*vacat*	*165.10.*
Docent	*Doceat*	*166.20.*
verſum	*verſus*	*175.25.*
degeneraſſet	*deeſt*	*181.25.*
auxilium	*exilium*	*182.8.*
indicij	*indicijs*	185.11.
non	*nam*	186.14.
vniuerſalibus	*vniuerſalia*	187.30.
Deminendum	*deliniendum*	190.31.



PRAE-



PRAEFATIO IN ARTEM HISTORICAM.



DE ratione conſcribendæ Hiſtoriæ, ſuperioribus temporibus; & noſtra tempeſtate multi ſcripſerunt: propterea ſi quæ ad hanc artem pertinent literarum monumentis tradita viderem; idem opus aggredi ſuperuacaneum duxiſſem; cum ſeruilis admodùm ingenij exiſtimem, aliorum opinionum ſe mancipium etiam ſcriptis profiteri, & vaniſſimi, ſi nihil, aut noui, parum afferatur; exoleta velle poſteritati mandare, & librorum immenſo numero numerum adijcere, nouumq́; incaſſum laborem legentibus exhibere: Igitur quæ de Hiſtoria cogitans ſcitu digna, nulliſq́; aut agnita, aut minimè ſcripta, inuenire potui, aut quæ ab alijs ſub nube quidem perſpecta, nulla tamen ratione firmata, validis rationibus probare quiui; ea hoc opere Hiſtoriarum amatoribus exhibebo; ita affectus animi, vt ſi à ſapientibus probentur; vera me excogitaſſe credam, gaudeamq́; ſin autem à philoſophandi quidem ignaris, de aliorum tamen ſcriptis, iudicium profitentibus reprehendantur, nihili omnino facturus ſim; nam quemadmodum laudatorum virorum teſtimonia veneror, ita ineruditorum, inertiumq́; Turbæ & laudationes aſpernor, & vituperationes non vereor.

RATIO DICENDORVM, & Historiam esse Narrationem veram. Cap. Primum.

EST itaque mihi consilium Historiam rectè scribendi rationem tradere: quoniam verò fit rectè vnumquodq́ si ab eius natura effectionis vniuersa ratio ducatur; ante omnia definire Historiam oportet, atque ea nosce de illa, quæ ad hanc artem spectare videntur; tum verò ex ijs demonstrare necessaria ad commendabilem compositionem. Primum autem cauendum est ab ambiguitate nominis, multa enim Historia significat ad nostram contemplationem minimè pertinentia, nam & Aristoteles, & Plinius alter de rebus naturalibus scribens, alter de animalibus opus suum Historiam appellauit, quin eundem Aristotelem satis constat, libris de anima Historiæ nomen indidisse. Propterea his, atque alijs, si qua sunt, huius nominis significantibus, prætermissis in principio nostri operis præfari mihi liceat, me de ea tantum instituisse tractationem, quæ ab Harodoto, Tucide, Xenophonte, Cæsare, Salustio, Liuio, Tacito, cæterisq́ innumeris conscripta est, & quæ cum Historiæ nomen dicitur, primum, ac præcipuè ab omnibus significatur, atque intelligitur; & quæ non absurda appellatione, Ciuilis Historia vocari posse videtur. Hanc itaque si narrationem esse dicamus, rem minimè dubiam, sed probatam omnibus, certamq́ nos dicturos existimo, idque facilè quisque intelliget, si cunctos Historiæ scriptores perscrutetur. Quod autem vera sit narratio, & si commodiore loco demonstratiuè ostendetur; quoniam tamen ad ea, quæ statim dicenda manent, plurimum id hic accepisse conducit, tãquam omnium probante consensu nobis facilè dari posse credimus: hac enim differentia omnes arbitrantur ab Historia fabulas distingui, nam Historiam, veram narrationem; fictam verò fabulam appellare

Meth. tractationis.

De qua Historia agatur.

pellare consueuerunt: Hac eadem a probatis Autoribus poesis ab Historia distinguitur, nam poesim narrare inquiunt rem; vt verisimile est accidisse; Historiam autem vt verè accidit. Est igitur Historia narratio vera.

Quarum rerum Historia sit Narratio. Cap. II.

QVarum rerum Historia sit narratio paulò pòst certissima ratione demonstrabitur; verum ad ea quæ modò dicenda sunt necessarium est hic aliquid afferre; quod factu minimè difficile est; nam ab Historia nobis diffiniendæ rerum naturalium narrationes, tractationesq́; philosophicas reiecimus; cum de illa me locuturum professus sim, quæ propriè Historia dicitur, & quam tot præclari scripserunt Historici. Narrant itaque hi res tantum gestas, seu pacis tempore, seu belli; siue publicè, siue priuatim; voco autem res gestas; actiones, quæ ab habitu morali, seu actiuo fiunt; nam etsi gesta quædam res est Socratis disputatio cum Gorgia, cæterisuè Sophistis à Platone literis commendata, non tamen ab habitu actiuo profecta est, sed contemplatiuo; ex quo quicunque operantur non prudentes, vel imprudentes; neq; boni, vel improbi; sed ignari, vel docti appellantur: propterea Dialogi Platonis, vel M. Tullij, & quicunque disputationes complectuntur, in quibus de veritate certatur, huiusmodi res gestas minimè narrant quibus nomen historiæ mereantur. Res igitur, quarum est Historia Narratio, sunt actiones morales, has autem illas esse censemus, quibus actiua vita continetur. Id verum esse omnes Historici declarant, nullum enim hoc nomine communi consensu, dignum reperimus, qui non res huiusmodi narret: Hoc idem illi sentire videntur, qui ab Historia Poesim in eo differre arbitrantur, quod Historia res veras, Poësis autem narrat verisimiles; nam si res genere diuersas memoriæ traderent,

Dialogi Platonis, & Cicer. alijque similes Historici non sunt.

non vero, & verisimili, sed rebus ipsis dissiderent; at Poesis res tantum actiuas narrat, & propterea Empedocles, qui de rerum natura carmina pangit, secluditur à numero Poetarum, quemadmodum præfatis Autoribus visum est: igitur Historia quoque rerum gestarum, hoc est actionum moralium iam effectarum narratio dicenda videtur. Dico autem effectarum: nam si quis futura prædicat Prophetam illum, non Historicum vocabimus, nullus est enim, vt reor, qui Prophetarum, aut Sybillarum prædictiones Historias vnquam appellauerit.

Prudentiam esse finem Historiæ. Cap. III.

VErum de fine Historiæ maximè nos esse sollicitos oportet; nam siue sit diffinitionis pars, vt ijs videatur necesse est qui accidentium diffinitiones, proximas, atque immediatas eorum causas tanquam partes necessarias complecti debere contendunt; siue non; quod fortasse commodiore loco, quæremus; summoperè illius cognitio conducit ad inuenienda præcepta rectè Historiam conscribi; finis enim actionibus rationem, modumq; præscribit, quē cognoscere non potest, qui finem ignorat. Quærendus est igitur Historiæ finis, vt & Historiam scripturis, & nobis Artem scribentibus consulamus. Diximus Historiam esse narrationem veram rerum gestarum, & quidem finis Narrationis cuiuslibet immediatus est cognitio; nam quicunque aliquid narrat, id esse notum vult. Quoniam verò natura sunt omnes homines cupidi notitiæ rerum gestarum, ac propterea Historiarum lectione, quæ res gestas narrat, plurimum delectantur, visum est nonnullis, Historiæ finem esse delectationem; quod quidem ij credunt, qui ad leuandam æstiui caloris molestiam, facta magnorū virorum lectitant; à quibus minimè dissentire videntur ea, quæ maximus oratorum (Cicer. epist. ad Lucceiū.) *dicit in Epistola ad Lucceium:* habent inquit plurimum ad

deti-

detinendum lectorem temporum varietates, fortunæque vicissitudines: *ad detinendũ, hoc est oblectandum, interpræ tatur, ex quo probat ea, quæ cupit admiscenda esse Historiæ; eius autem quod faciendum est in actione qualibet, ex fine ratio deducitur. Potest autem hæc opinio huiusmodi ratione firmari. Quemadmodum Ars est æmula naturæ, ita ad eam opitulandam inuenta est, vt scilicet illa, quæ natura non potest, Ars ipsa efficiat: hoc facilè patet, nam quæ hominum generi ad vitam necessaria sunt, sufficit plerunque natura rudia, & ad vsum minimè accommodata: In quibus igitur Ars naturam imitatur, idem est vtriusque finis: At vera, naturalia sunt, seu veluti naturalia; efficta verò artis opus, sequitur itaque rerum verarum, atque efficttarum eundem esse finem, vt verbi gratia vera quidem res est amatæ mulieris forma, cuius præsentia perditorum amantium oculis gratissima contingit; efficta res est eius simulacrum, vel imago: aspectus veræ formæ ab amantibus vsurpatur ad explendam oculorum cupidinem, non minus imago ob eandem causam effingitur; voluptas itaque amborum finis est, & veræ scilicet formæ aspectus, & imaginis elaboratæ; Videtur autem Poesis efficta quædam Historia, nam hæc vera Narratio est. Poesis verò ficta, & verisimilis; at Poesis finis est oblectatio, igitur Historiæ quoque finis oblectatio est. Hæc opinio nec auctoritate valida, nec ratione firma nititur; nam idem vir acerrimi iudicij M. Tull. Historiam vitæ magistram appellauit. Ad idem verò probandum adhibita ratio imbecilla, ex se, longa reprehensione non eget; rerum enim verarum, efficttarumq́; etsi nonnullarum finis idem est, non tamen propterea omnium: liberos enim habere cupimus; vt per eos quã possumus nitamur ad æternitatem; & vt nominis fortunarumq́; habeamus hæredes; ijs vita functis ad leniendum mærorem signa, vel imagines nobis comparamus: longè hîc veri, & efficti filij vsus, ac finis; irati finis vindicta; iram irati, qui simulat ad oblectandum facit. Verè præliantium, Victoria; eorum,*

qui

qui per ludum ludicras ineunt pugnas, spectantium voluptas. Praterea siue Poesis effecta dicatur Historia, siue non, quod alibi quarendum est, eius finis non est oblectatio, quod in illius arte commodiore, opportunoq́; magis loco demonstrabitur, sed Persuasio, vt etiam inferius dicemus. Quapropter qui animi tantum gratia vt Poemata, Historias lectitant, non mirum si earum vtilitate vera destituantur, quam minimè cognoscunt. Fortè autem ob eam causam res gestas literis commendari aliquis opinabitur, vt illarum memoria obliuione non intercidat, sed multa durando secula vincat, & apud posteros clareat, ac propterea ab eodē Tullio Historiā Nuntiā vetustatis esse appellatam: & quidem vbi patratū est aliquod prçclarū facinus, ad posteritatis memoriam signis, atque imaginibus vsas esse sapientissimas Ciuitates accepimus, qua quoniam iniuria temporum obnoxia sunt magis, & ad ea significanda minus accommodata, quorum testes adhibentur, in eundem vsum reperta, atque instituta videtur Historia: Inter ciues autem, alicuius facti retinere memoriam non absque ratione vsurpatum videtur: ea duplex est, laus, vituperatioq́; agentis, & Ciuium ad similia inflammatio, vel dissuasio; horum laus, & vituperatio pramia sunt honestè, vel turpiter actorum. Inflammatio verò, vel dissuasio ad spem Reipublica pertinent. Hi sunt igitur Historia fines compluribus fama celeberrimis auctoribus: Diodorus Si-
Lib. 11. *culus post Gelonis laudes.* Nec enim, *inquit*, hi quibus per virtutem, & res præclarè gestas, haud dubium gloriæ nomen partum videtur, fuerant apud nos meritis laudibus fraudandi, *& paulò pòst*, est æquum, simulq́; vitæ communi conducibile malos eos, qui potestatem gesserunt literarū monumentis vituperari; probos contra æternis commendatos laudibus illustrare, nam ma-
Lib. 12. & 15. iorum æmulatione, atque memoria plerunque posteritas ad communem beneficentiam incitatur, *eamdemq́; sententiam sæpius repetit, quam etiam in præfatione totius ope-*

ris

ris statim apponit. Plutarcus in Agesilao. Difficillimum esse scio Agesilai laudibus parem orationem inuenire, *& paulò pòst*, per summa capita eius narrabo virtutes, vt laus eius facilius in hominum memoria conseruetur. *In Pericle autem se propterea scribere Historias profitetur, vt exemplo virorum; quorum actiones narrantur ad æmulationem lectoris animus inflammetur. Cornelius Tacitus*, Exequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore, quod præcipuum munus annalium reorum ne virtutes sileantur, vtq; prauis dictis, factisq; ex posteritate infamia metus sit, *Polybius*, eum qui scribendæ historiæ munus susceperit omnia huiusmodi obliuisci decet, & sæpenumero summis laudibus extollere inimicos, cum res gestæ eorum ita exigere videntur, interdum amicos, necessariosq; reprehendere, cum errores eorum digni sint, qui reprehenduntur. *Dionysius Alicarnaseus in præfatione historiarum cum inanes quosdam fines, quibus ad scribendum se impulsum profitetur attulisset, alium huic opinioni consentaneum adiungit*, vt scilicet viri fortes, qui fatum suum impleuerunt, gloriam immortalem adipiscantur, & à posteris laudentur, ne rerum memoria cum corpore intereat, & vt illos præsens, futuraq; eorum progenies æmuletur. *Quod igitur ex Historia prædicta vtilitates ratione aliqua percipiantur, inficiari non possumus: verè enim per eam viget memoria bonorum cum laude apud posteros, & vt complurimi ad præclara facinora nobilibus exemplis excitantur, ita non pauci à turpibus perpetrandis reuocantur. Propterea Cic. ad Atticum.* Quid verò inquit, Historiæ ad annos sexcentos prædicarint? quas quidē ego multo magis vereor, quā eorum hominum, qui hodie viuunt, rumusculos. *Quibus adiungere ea possumus, quæ leguntur apud Tacitū*, cætera, *inquit*, principibus statim adesse, vnū insatiabiliter expetēdū prosperā sui memoriā.

Plutarcus.
Lib. 5.
Polyb.
Diony. Alicar.
Tacit. lib.

Verum

Laudare non est munus Historicũ, neq; impellere ad honestas actiones.

Verum in hoc esse constitutum finem illius præcipuum, quo à cæteris omnibus artibus Historia differt, sanè falsum est; nam ad excitandas, cohibendasq; Ciuium mentes Ars oratoria instituta est, quæ non modò commotione affectuum, sed rerum quoque gestarum exemplis vtitur: argumento sit demonstratiuum genus, quo cum facta quædam laudentur, quędam reprehendantur, id ad persuadẽdum fieri necesse est; vniuersæ enim oratoriæ finis est persuadere; Quapropter non modò iudiciorum, consultationumuè, sed laudationum quoque finis est persuasio: laudantur itaque facta virorum illustrium, vt cæteri ad similia inflammentur: propterea ab oratore utrumque fit, nam, & præmium virtuti, vitiouè debitum oratoria laude, vel vituperatione reponitur, & ciues excitantur, ac deterrentur, idq; narratione rerum gestarum, idem igitur esset Historiæ finis, & Oratoriæ. Præterea videndum quomodo laudis nomen accipiatur, hęc enim à nonnullis magnitudinem virtutis ostendens oratio definitur. Propterea volunt eius esse proprium ornamentum amplificationis, amplificatio autem omnino de historia tollenda videtur, Nam Historiam narrationem veram esse, vt dictum est, & verisimilem, vt dicetur; oportet; at verò qui amplificat, rei terminos promouet, quod sine veritatis detrimento fieri non potest, nihil enim amplificatur, quin maius fiat, additur itaque semper aliquid veritati, cum res amplificantur oratione; propterea Cicero ad Atticum, nihil se addidisse ostendens veritati in ijs, quæ de consulatu suo grecè cõposuerat, sed omnia vera narrasse, quãquam, *inquit*, non ἐγκωμιάστικα sunt hæc, sed ἱστορικὰ, quę scribimus; *vbi satis ostendit se à laudibus historicas seiũgere narrationes: & in Xenophõte nonnulli animaduerterunt secus eum loqui de Agesilaò in oratione de laudibus illius, ac in Historia, quam de rebus gestis Græcorum composuit. Præterea ita natura hominum comparatum est, vt semper aliorum laudes, obtrectationesuè, cum aliqua odij, vel amoris suspicione audiantur; propterea historiæ fides*

labefa-

labefactatur. Narrat igitur Historia res honestè, vel turpiter actas, non tamen laudat, vel accusat, nam laus non est huiusmodi narratio, sed quæ vim addit approbantis, seu reprehendentis, quod faciũt suo iure Oratores, ac Lyrici poetæ, propterea tuetur quidē ab obliuione res gestas Historia, & ijs, qui legunt laudãdi, vel vituperandi materiam præbet, itaut verè sit, quemadmodum Cicero ait testis temporum, uel potius actionũ, uerum vt testes rem tantum exponunt, sententiam Iudici permittunt, ita actiones Historia narrat, iudicium earum cum laude, vel accusatione legentibus relinquit; & hoc pacto laudes virorum Historia complectitur, non quod laudet, sed quod facta recenseat, commendatione digna, quo plurimum iuuat Oratores; ijs enim exempla sufficit, quæ laudet, vel quibus vtatur ad laudandum: quapropter Commentaria Cæsaris laudem illius minimè continent, sed ea, quæ gessit in Gallia, & in toto ferè orbe terrarum, & est illa, rerum gestarum narratio; non laus; laus est, quæ eum meritò prosequitur in oratione pro Marcello, ac de Consularibus Prouincijs eximius Orator, cum & populorum multitudinem, quos Romanorum Imperio subegit; barbaras gentes, ferocesq; nationes, quas domuit; peragratum orbem, innumerasq; Prouincias non modo cursibus, sed victorijs illustratas; numerum contentionum, præliorumq; magnitudinem admiratur, quibus nec exterorum principium vllum, nec Romanorum quemquam cum eo posse conferri existimat. Ita, ni fallor, peragitur laus, quam qui Historiæ tribuit, necesse est eum inter Historicum, & Oratorem non distinguere. Praterea si factorum laus Historiæ finis esset, rei tãtum gestæ narratio expleret offitium; nihilq; aliud ab Historia postularetur, quod in laudibus Oratorum satis constat. Cicero enim, quæ C. Cæsar gesserit tantummodo commemorat; at verò videmus à Sapientioribus nudas huiusmodi narrationes, ieiunasq; non multum in Historia probari, volunt enim, & causas rerum exponi,

Quid sit laudare, & quo laus peragatur.

poni, & loca, & tempora, & principia, multaq́ alia; longe igitur alius à laude, incitationeq́ ad præclara facinora Historiæ finis est, quem omnino inuenire oportet; nam vt cæterarum artium omnium, ita Historiæ vtilitas quædam propria existit: non est autem vtilis eam scribētibus, nisi fortè propter laudem, quam rectè scribendo consequuntur; nam vt statuarum, imaginumq́ vsus non ad artificum commendationem videtur institutus, ità etiam neque Historiarum compositio; artes enim in Ciuitate ad publicam primum, tum vero ad priuatam nitet vtilitatem decet. Neque est ad eorum commodum, quorum facta narrantur, ea enim esset laus, quæ sola functos vita sequitur; hanc autem paulò antè reprobauimus: quapropter dicendum videtur, historiam scribi illorum gratia, qui legunt, idq́ ex eo facilè intelligitur, quòd ab omnibus tam auidè legitur, tantusq́ in ea labor, etiam à Sapientioribus impenditur; commodum autem, quod ex illa legentes suscipiunt, minimè est delectatio; quemadmodum supra demonstrauimus; neque cognitio rerum gestarum, nam etsi ea necessariò sequitur Historicam narrationem, tamen inter expetibilia per se minimè censetur; rerum enim tantum naturalium, essentiarumq́ cognitio, quæ à contemplatiua philosophia mortalibus traditur, se ipsa contenta est, at propter se ipsam expetitur; actionum verò cognitio, propter vlteriorem finem, hæc autem doctrina est eius, quod in vita nobis agendum est; vt enim qui pingendi, excudendiq́ artem addiscunt diligenter, attenteq́ artificum opera intuentur, vt illa immitari queant rectè, artemq́ laudabiliter exercere, ità qui commendabilem cupit vitam instituere, aliorum facta debet accuratè intueri, à quibus rectam ipse viuendi rationem consequatur: ob hanc igitur causam vitæ magistram Tullius Historiam appellauit, nam aliorū exemplis ostendit quid sit nobis faciendum in vita. Hoc idem alijs compluribus grauissimis viris placuisse video, idq́ partim subobscuris,

partim

partim apertissimis verbis testatum reliquisse: nam Diodorus in præfatione operis, etsi multa de laudibus disserit, incitatio neq; ad virtutem, de conseruatione memoriæ rerum gestarum, ac de vtilitate, quam oratoriæ Arti præstat Historia: præcipuum tamen, ac nobilissimum finem illius dicit esse prudētiam; Plutarcus in Nicia manifestè profitetur se ad instituendam commendabilem vitam exempla clarorum virorum obiecisse, In Demetrio probat cur exempla virorum quoque imprudentium viro ciuili vtilia sint, imitarores inquit rerum præclarium intentiores fore, si exempla improborum agnouerint, quemadmodum melius est de pulsatione fidium iudicaturus, qui non modò egregios artifices, sed etiam eius artis ignaros audierit. *Tucidides autem de suis Historijs,* quia, *inquit,* non fabulosæ, minus erunt fortasse auditu suaues, verum qui volent rerum gestarum intueri sinceritatem, & eum aliquando iterum, ac similia, vt sunt res humanæ; venturæ sint, discernere vtilia abundè poterit, *& alio loco antequam pestem describat.* Ego verò, *inquit,* quæ potero referam, & quæ sibi quisque proponens si quando hoc rursus incidat iam prædoctus habeat aliquid præcipuè, vnde non ignoret. *Tacitus,* vt olim plebe valida, vel cum patres pollerent, noscenda vulgi natura, & quibus modis temperanter haberentur, Senatusq. & optimatum ingenia, qui maximè perdidicerant callidi temporum, & Sapientes credebantur, sic conuerso rerum statu, neque alia rerum sit ratio, quā si vnus imperet, & hæc conquiri, tradiq; in rem fuerit, quia pauci prudenria honesta à deterioribus vtilia obnoxijs discernunt, plures aliorum euentis docentur. *Liuius.* Nam illud est, *inquit,* præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi, tuæq; Reipublicæ quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. *Polybius*

Diodorus. Plutarcus. In Præfatione. Lib. 2. Lib. 4. In Præfatione operis. In præfatione.

ex aliorum sententia, quam ipse approbat Historiam esse ait ad institutionem vitæ, & ad res ciuiles, & paulò pòst, ea sola, *inquit,* est ob exempla alienorum, incommodorum magistra, vt quisque possit fortunæ varietatem æquò animo ferre. *In hanc sententiam sunt omnia ferè, quæ de vtilitate*
Lib.1. *Historiæ ait post captum Regulum, duobus enim modis mutari in melius homines posse censet experientia propriarum calamitatum, & cognitione alienarum; hanc autem haberi*
Lib.3. *ex Historia; alio etiam loco ad res priuatas, ac publicas eam esse necessariam testatur:* nam præteritæ res, vt ipse ait optima rerum gerendarum documenta sunt, facileq; nobis ostendunt vniuscuiusque rationes, consilia, machinas, quid nobis gratiam, opem, beneficium parere possit, quid quemque aduersus nos mouere quid ad misericordiam, quid ad indignationem. *Igitur cognitio rectè agendi res agibiles finis est Historia. Hæc autem appellatur prudentia, quæ finis vltimus huius artis habenda est, cum proximus, & immediatus cognitio sit rerum gestarum.*

Quomodo Prudentia fiat ex Historia.
Cap. IIII.

QVoniam verò finis cognitio vtilissima est ad tradendam artem, non modò dicendum est Prudentiã esse Historiæ finem, sed ostendunt præterea est, quomodo ex illa fiat, hoc enim summopere conducet ad ea, quæ dicenda sunt de præceptis. Sic itaque dicamus: facti sumus ad fęlicitatem, quam non nisi operando assequimur; neque id quidem temerè, ac quomodolibet sed rectè, rectè autem nullus operatur, qui non modò non possit, ac velit, sed etiam non sciat: quemadmodum verò factibilium cognitio Ars appellatur, ita rerũ agibilium Prudentia: Hæc maximum ad fęlicitatem principium cum sit duabus ad eam sibi comparandam vijs mortales nituntur. Præceptionibus

Quibus vijs niti possimus ad Prudentiam.

& ex-

& experientia. Præcepta actiua philosophia complectitur. His docemur quid sit nobis agendum in vita, id autem scire est esse prudentem: experientia verò duplex, propria, & aliena, propriam uoco, quam dum ipsi operamur actionibus nostris adipiscimur, alienam operationes aliorum intuentes comparamus: hæc autem ab Historia fit, vt dicam paulòpòst; nam prius esse quærendum videtur vtrum eadem sit prudentia præceptorum, & experientia: id quidem opportuno magis loco in moralibus quærere decet, vbi rem hanc vniuersam diligentius tractare oportet, hic tamen omnino prętermitti non potest. Dicamus igitur quod quemadmodum in rebus contemplatiuis ex notis, certisq; principijs eruuntur conclusiones, & hæc à Peripateticis appellatur scientia, ità in actiuis ex fine rectè perspecto eorum oritur cognitio, quæ sunt facienda propter finem; hæc vocatur prudentia, quæ Actiuæ philosophiæ opus est immediatum, in ea enim ex vltimo fine, quod est summum bonum, siue beatitudo, quid agendum sit demonstratur. Harum conclusionum cognitio, siue ipsamet conclusiones, agibilium omnium rationem rectam continent, quæ vt iam dixi, prudentia vocatur. Ex ijs oritur dubitatio quæ, qualisuè sit prudentia, quæ ducitur ab experientia, & quæ sit eius necessitas, videtur enim agendi ratio non nisi ex fine posse cognosci; cum illud verè dictum arbitremur finem esse in agibilibus, vt suppositiones in contemplatiuis: hæc autem fit in actiua philosophia per præcepta: prudentia igitur nulla videtur alia, quam, quæ oritur ex præceptionibus, & quæ fit ope ciuilis philosophiæ. Communis tamen opinio est ab experientia quoque prudentiam fieri; imo expertos prudentes quoque appellamus, & Homerus Vlissem prudentem significans; multorum (inquit) populorum mores vidit, & Vrbes; quod est eum rerum multarum experientiam habuisse: inter medicos quoque Dogmatici sunt, & Empirici: vocantur dogmatici qui certis rationibus pręceptionibusq; morbos esse curandos arbitrantur. Empirici verò qui ab experientia cunctam

Quomodo sit necessaria Historia.

medendi rationem ducendam existimant: hoc idem in cæteris artibus videre est, quidam enim præceptorum collectionem tenent, ex qua operantur; quidam verò nituntur experientijs; est autem idem in factiuis Ars, quod in Actiuis prudentia; quapropter non tantum ex fine, præceptisq; agendi ratio colligitur, sed etiam ab experientia fit: est autem agendi ratio, siue prudentia non idem cum experientia, hæc enim præteritorum est, prudentia verò nulla temporis differentia coercetur, non minus enim quid agendum fuerit, quam quid agendum sit, & quid agẽdum erit in posterum intelligit; nec dicit, ostenditue experientia quid agendum fuerit, sed quid actum sit: propterea non inerti iudicio ad eruendam ab experientia, elaborandamq; prudentiam opus est, quo fit non omnibus esse vtilem Historiarum lectionem: non enim docet experientia quid gestum sit, verum cognoscit quæ gesta sunt, nec tantum cognoscit, sed animaduertit diligenter, nam non quisquis res aliquas esse gestas intellexerit, statim expertum ea ratione cẽsemus, si nullum in ijs studium adhibuerit, nec volutauerit animo. Hæc igitur diligens, & accurata cognitio siue obseruatio rerum factarum, vt propius accedat ad prudentiam inter dispersas, ac dissitas, plurimumq; dissimiles simillimas colligit, & quæ ratione vnaquaque gesta sit benè, vel malè animaduertit: ex hac verò rudi cognitione, qui Prudentiam elaboraturus est; nouam adhibet curam, & quæ fuerit recta agendi ratio, quæ minimè ab experiẽtia in similibus accipiens; vniuersalem efficit propositionem, quæ dicit. In huiusmodi rebus hoc agendum est, quæ propositio prudentia dicitur, (dabunt veniam subtiliores quod Prudentiam propositionem dicam, cum sit habitus; id enim si rectè intelligatur nullum habet absurdum; Et in hac doctrina ita necessariò loquẽdum est ad faciliorem intelligentiam) experientiæ verò propositio, eruta ex singularibus, hæc est. In huiusmodi rebus id egisse vtile fuit, id verò perniciosum: ex hac experimentali, vt ita dicam, propositione deducitur, atque colligitur

De Prudentia, & experientia.

tur

tur prudentia: propterea ardua sanè, ac longè difficillima subboritur quæstio, ea est hæc. Nihil infertur, siue ex alio deducitur, nisi vt syllogistica, hæc enim vt in logica ostenditur principium est, ac fundamentum vniuersæ illationis; quæ igitur est inter has propositiones syllogistica ratio, siue forma, vt vna ex alia possit inferri? nam si dicamus. In huiusmodi rebus ita fecisse fuit conducibile, ergo in huiusmodi hoc faciendum est, haud sanè facilè perspicitur, quæ sit inferendi ratio. Id agnoscere quia perutile est, ac necessarium conabor de eo aliquid effari, & quoniam aliorum ductu sumus destituti, rei naturam ducem sequemur. Si inter duas has propositiones vlla est inferendi ratio, nulla potest esse alia præter similitudinem, signum est, quod non fit ex propositione experimentali, propositio prudentiæ, nisi inter ea, quæ sunt valdè similia; nam si quis diceret in Atheniensi Republica rectè instituta fuit huiusmodi lex, non rectè aliquis inferret cum hoste certaturus, ergo ita pugnandum est; sed multò melius diceretur in hanc Rempublicam, quæ vt illa popularis est, similem inducere legem commodum erit, & eò melior illatio videbitur, quo similiores fuerint Respublicæ, & occasiones ferendi legem, nam (vt vno verbo dicam) in similitudine constituta est vis omnis, & robur exemplorum, quibus ad aliquid probandum vtimur; nihil autem probat, quod Argumentationis naturam non habeat; argumentationis autem essentia in illatione sita est, propterea exemplum quoque, & si minus quam Enthymema, & syllogismus inferendi tamen vim habet, quoniam verò omnis illatio est à syllogismo hanc esse deducendi rationem dicemus prudentiæ ex experientia. similium eadem est agendi ratio; & hæc, similia sunt ijs, quæ nôscuntur experientia; ergo eadem est vtrorumque agendi ratio. Deinde fit alius syllogismus. Horum atque illorum, quæ nota sunt experientia, eadem est agendi recta ratio; hæc autem fuit in illis agendi recta ratio, ergo etiam in ijs hæc est agendi recta ratio.

Qua ratione Con. prudentiæ eruatur de propositionibus experientiæ.

Minor huius syllogismi est propositio experientia, conclusio verò est habitus Prudentia, quæ ducitur ab experientia, colligitur autem auxilio maioris, quæ est; Horum, & quæ nouit experientia, eadem est agendi recta ratio, hæc autem est conclusio superioris syllogismi, quæ virtute maioris infertur; est autem maior similium eadem est agendi ratio. Hoc igitur est fundamentum collectionis prudentiæ. Quoniam verò hæc prudentia minimè est eadem cum illa; quæ deducitur ex cognitione finis, propterea rectè superius dubitatum videtur, quæ sit huius vel necessitas, vel vtilitas, si optima est, quæ ducitur ex fine. Hæc itaque dubitatio sic soluitur. Non vt est vna, & immediata causa, quæ conclusiones demonstrantur in contemplatiuis, ita vna est agendi ratio, quæ tuto finem in agibilibus consequamur, propterea multa ex eodem fine probabiliter tãtum (vt plurimum) colligi possunt; quæ autem bona sit, vel optima euentu dignoscitur, hoc est experientia, est enim hæc in agibilibus, vt in rationibus Arithmeticis probationis regula, quæ vtrum bene quis, an secus rationes confecerit demonstrant. Qui igitur ex fine deducunt agendi rationem, vtrum rectè id fecerint an decepti sint, actionum euentu docentur, non enim ita facilè est eam inuenire, vt consultantes falli sæpius non possint. Hæc est experientiæ prima vtilitas, de qua commodiori loco plura dicenda sunt: ea verò tanta est, vt longè melius de rebus iudicent, faciliusq; rectam agendi rationem teneant, qui experientia callent, quam qui ratiocinantes ex notione finis consilia rerum expediunt; hi enim probabilibus fortaße, incertis tamen, ac dubiis, imò plerunque falsis vtuntur propositionibus; at verò experti rerum, manifestis, ac certis, vt in rebus humanis fieri potest. Quapropter in agendis minus rectè iudicant Theorici quam experti, non quod illi versentur in vniuersalibus; hi verò in particularibus, quorum existunt actiones; nam si ad particularium cognitionem Theoricum deduxeris eademq; ratione in illis perspiciendis vtatur qua vtitur in vniuersalibus; non

Experiẽtiæ vtilitates.

Cur minus rectè in agẽdo iudicet Theoricus, quã Practicus.

non minus errori erit obnoxius; Sed quod ex fine deducit agendi rationem, quæ deductio, siue illatio, vtrum sit commendanda nec ne, acerrimi quidem iudicij vir fortasse intelliget; verum quia ad eundem finem multæ videntur operationes deducere, valde dubiũ est, an humanus intellectus, quæ tuta sit, notione tantum finis perspicere queat: qui autẽ vsu rerum pollet facilius ab ambiguitate se expedit, experientia.n.eũ à deceptione tuetur, & quid benè, quid malè consultum sit in similibus docet. Alia experientiæ vtilitas hæc est. Quemadmodum in contemplatiuis non omnes eo intellectus acumine pertingunt; vt definitiones rerum venari per se, vel accidentium causas possint, ac propterea aliorum authoritatibus sæpenumero acquiescunt; ità in actiuis non omnes facilè queunt expedire sibi consilia, ob eamq́; rem ad exempla confugiunt, & quod in simili re alij gesserunt animaduertentes, idem sibi faciendum esse constituunt: quapropter haud est inutilis hæc prudentiæ species, quæ si cum alia coniungatur, de qua paulò antè diximus, tum demum perfectè, vt imbecillitas nostra patitur, prudens quis appellari potest: verum ista in moralibus diligentius: nunc ad rem: Historia res gestas describit, his cognitis, quam diximus experientiam nobis comparamus: ex hac oritur prudentia, & vt ad prudentiam efformandam adhibẽdus est labor, ita etiam ad experientiam; nam diligenter actiones introspicere, multasq́; similes conferre oportet. Hinc fit, vt qui minus in ijs se exercent prudentiam facilius ab Actiua philosophia sibi comparent, quam ab Historia; in hac enim quemq́; sibi eam elaborare necesse est. In philosophia verò alieno partam labore obtinet: dicitur enim in illa; harum rerum efficiendarum, recta ratio est hæc, ità optimatum gubernanda Resp. ità popularis; seditionibus ità obuiam eundem, ita dissoluendæ coniurationes, & huiusmodi; quæ suopte ingenio in Historia vnumquemq́; sibi parare oportet eo modo, quem paulò antè commemorauimus.

Cur nõnulli vtilitatem Historicam non consequantur.

An omnis Prudentia sit finis Historiæ. Cap. V.

CAeterum, vt hanc de fine tractationem absoluamus, reliquum est videre an Prudentia omnis Historiæ sit finis. Duplici enim modo Prudentia accipitur latè, & propriè; lata significatione quemadmodū vulgò accipiunt; Prudentia est cognitio ad quemlibet præstitutum, atque propositum finem idonea, media comparandi; propterea calliditas quoque prudentia est: at verò propriè dicitur prudentia, quæ à Sapientioribus recta ratio agibilium definitur, & qua omnes contineri virtutes arbitrantur: hæc autem virtus est, & rectarum moralium operationum principium. Hunc esse Historiæ finem plerisq; ex antedictis authoribus; satis manifestum est, cum & magistram vitæ Historiam appellauerint, & notitiam eorum, quæ facienda, quæ fugienda sint nobis in ea tradi existiment, multaq; alia in hanc sententiam; quæ tamen minimè vera videntur; hæc enim ratione semper commendabilis, ac ciuili vitæ conducibilis esset Historia, quod tamen virtutum proprium est. Artes verò honesto, & turpi vsui deseruire possunt; manifestum id, nam nihil obstat, quominus tormentorum militarium factiua, & patriæ queat, & hostibus operam præstare? & Medicus eadem facultate vitam eripere veneno potest, & vtilibus medicamentis proferre. Artes itaque habent fines suos indifferentes, quibus vti honestè possumus, ac turpiter, vt placuerit. Quapropter cum Historia sit Ars quędam; immediatum finem habet rerum gestarum cognitionem, vltimum autem Prudentiam omnem, quæ huiusmodi narratione fieri potest; ob eamq; rem sicuti narratio Historica omnes complectitur res gestas, omnesq; actiones, quæ in vita ciuili fieri queunt; Non enim minus historicus est qui adeptam Tyrānidem, quam qui seruatam patriam ostendit, quemadmodum nec minus ora-

tor,

tor, qui Tyrannum commendaret, vel tueretur, quam qui optimum Principem æternis laudibus exornaret: ita satis constat omnem narrationem rerum gestarum esse æquatum finem Historiæ; Hæc autem est prudentia latè sumpta; quod si quis Historiam accipiat, vt Politici instrumentum actu, negari non potest illius finem esse prudentiam propriè sumptam, tunc enim accipimus eam in recto vsu, ad quem præcipuè, ac primo reperta est, vt reliquæ omnes artes, quæ si in se ipsis sumantur; eorum vsus bonus, atque malus esse potest, si verò quà Instrumenta sunt viri Politici, hoc est benè vtentis; eorum vsus non nisi bonus est; ità si gladium absolutè consideramus, eius finis est incisio, quà & benè, & malè vti possumus, at verò si eundem, vt militis pro patria pugnantis instrumentum, eius finis est hostium contrucidatio, qui finis optimus est. Latè igitur sumpta prudentia, quæ effectibilis per cognitionem rerum gestarum est Historiæ æquatus finis: præcipuus tamen, ac nobilior, & qui primò expetitur est vera prudentia; ob quam Politicus Historiæ artem in Ciuitate non modo permittit, sed instituit, atque conseruat.

Quarum rerum, & qualem oporteat esse Historicam Narrationem. Cap. VI.

QVod in hunc locum reiecimus nunc ostendere oportet. *Dico Historiam esse Narrationem actionum actiuarum, est enim duplex intellectus vis, atque facultas, contemplatiua, & practica: in homine omnium actionum humanarum initium est earum altera; quarum principium est contemplatiua, contemplationes vocantur, & ad illud vitæ genus pertinent, quæ contemplando transigitur, huius esse finem statuunt summi entis, primæuè causæ intelligentiam, quam ab habitu quodam proficisci arbitrantur, qui sapientia dicitur, & si longè aliud fortasse sapientia videtur, quemadmodum in*

speculatiua philosophia dicetur. Actiones verò quarum est principium intellectus practicus Actiua appellãtur, hæ ad actiuam vitam spectant cuius finis est fęlicitas, siue beatitudo ciuilis; earũ recta ratio vocatur prudentia, hanc & finem esse Historiæ, & ab experientia deduci iam diximus: quemadmodum autem si naturalis philosophia naturalem conclusionem principijs mathematicis ostendat, demonstrationem non facit, non enim ex proprijs demonstrat: ità, ac multo etiam magis falleretur, qui conclusionem actiuam vellet contemplatiuis principijs demonstrare; non modò enim de genere vnius scientiæ in aliud, sed de genere vnius vitæ in aliud transcenderet: ex contemplatiuis igitur principijs, & operationibus Prudentia fieri non potest, quod ex eo facilè intelligitur: Principium enim, ex quo Prudentia in Historia fit, experientia est, vt diximus, quæ in rebus gestis versatur. Si quis autem dicat esse quoque rerum naturalium experientiam, dico Historiam aliud experientiæ genus quærere, illud scilicet, quod Prudentiam parit, hęc autem non potest nisi ab actibus similibus proficisci, si verum est, quod summæ authoritatis tradidere scriptores, ex similibus actibus habitus fieri. Quales igitur sunt actiones; quarum Prudentia est principium, tales eas esse oportet, quibus comparatur, est autem agibilium principium; similium igitur Narratio est Historia. Hic cuidam difficultati satisfaciendum est, nam quia ex similibus actibus fieri habitus accepimus probatum est, actiones narrandas in Historia esse Actiuas: illa tamen propositio, quam vt veram assumpsimus, vniuersam videtur Historiæ tollere vtilitatem: cum enim dicitur habitus fieri ex similibus actibus, non significatur ex alienis: quis enim vidit vnquam, vel audiuit alienis in bello præclaris facinoribus factum esse fortem loci desertorem? vel ex alienis honestè peractis, vita fœdum in virum probũ euasisse? assuescendo nimirum habitus contrahuntur, assuescunt autem, qui operantur, propterea admonent morales philosophi plurimum

Dubitatio.

mum nos oportere esse sollicitos, quos actus edamus, cum horum similes habitus consequantur. Solutio facilis; duplex est habitus, moralis, & intellectiuus, de morali vera sunt, quæ diximus; nam si liberalitatem Cæsar exerceat, nunquam liberalis Crassus euadet, Intellectiui autem alia ratio est: hic enim (vt aiunt) ex doctrina plurimum habet generationem. Prudentia verò intellectiuus est habitus, ob eamq; rem non modò in philosophia morum docetur, sed alienis quoque exemplis in Historia comparatur: Eadem ratione vtendum est ad probandum Historicam Narrationem veram esse oportere, Prudentia enim est habitus quidam verus: sunt autem intellectiui habitus, inhærentes quædam intellectiuæ propositiones; veræ autem propositiones non nisi ex principijs veris rectè inferũtur; principium autem Prudentiæ experientiæ propositio est, & hæc vera esse nequit, si falsa sint quæ narrantur, nam ex his colligitur. Necesse est igitur Historiam esse Narrationem veram rerum actiuarum gestarum. Solutio.

De Necessitate Historiæ, & Comparatione illius cum actiua Philosophia. Cap. VII.

QVæ hucusq; tradidimus ad naturam, essentiamuè Historię pertinere videntur, ex quibus quid ipsa sit satis perspicere possumus nunc, Etsi multa dicta sunt de vtilitate illius, ac præsertim vbi demonstratũ est, qua ratione ab ea eruatur prudentia; nõnulla tamen dicẽda restant, quæ dubia erunt, si prætermittantur; & scitu digna, si laudabiliter explicentur; nam verè ex ijs, quæ diximus non benè intelligitur, quæ sit Historiæ necessitas: Cum enim eius finem dicamus esse prudentiam sanè vidẽdum est, quomodo superuacanea non sit, cum idem finis ad actiuam philosophiam pertineat; nec enim benè respondetur actiuam philosophiam niti ad prudentiam præceptionibus

Hi-

speculatiua philosophia dicetur. Actiones verò quarum est principium intellectus practicus Actiua appellatur, hæ ad actiuam vitam spectant cuius finis est fęlicitas, siue beatitudo ciuilis; earũ recta ratio vocatur prudentia, hanc & finem esse Historia, & ab experientia deduci iam diximus: quemadmodum autem si naturalis philosophia naturalem conclusionem principijs mathematicis ostendat, demonstrationem non facit, non enim ex proprijs demonstrat. ità, ac multo etiam magis falleretur, qui conclusionem actiuam vellet contemplatiuis principijs demonstrare; non modò enim de genere vnius scientiæ in aliud, sed de genere vnius vitæ in aliud transcenderet: ex contemplatiuis igitur principijs, & operationibus Prudentiam fieri non potest, quod ex eo facilè intelligitur: Principium enim, ex quo Prudentia in Historia fit, experientia est, vt diximus; quæ in rebus gestis versatur. Si quis autem dicat esse quoque rerum naturalium experientiam, dico Historiam aliud experientiæ genus quærere, illud scilicet, quod Prudentiam parit, hęc autęm non potest nisi ab actibus similibus proficisci, si verum est, quod summæ authoritatis tradidere scriptores, ex similibus actibus habitus fieri. Quales igitur sunt actiones; quarum Prudentia est principium, tales eas esse oportet, quibus comparatur, est autem agibilium principium; similium igitur Narratio est Historia. Hic cuidam difficultati satisfaciendum est, nam quia ex similibus actibus fieri habitus accepimus probatum esse, actiones narrandas in Historia esse Actiuas: illa tamen propositio, quam vt veram assumpsimus, vniuersam videtur Historiæ tollere vtilitatem: cum enim dicitur habitus fieri ex similibus actibus, non significatur ex alienis: quis enim vidit vnquam, vel audiuit alienis in bello præclaris facinoribus factum esse fortem loci desertorem? vel ex alienis honestè peractis, vita fœdum in virum probũ euasisse? assuescendo nimirum habitus contrahuntur, assuescunt autem, qui operantur, propterea admonent morales philosophi plurimum

Dubitatio.

mum nos oportere esse sollicitos, quos actus edamus, cum horum similes habitus consequantur. Solutio facilis; duplex est habitus, moralis, & intellectiuus; de morali vera sunt, quæ diximus; nam si liberalitatem Cæsar exerceat, nunquam liberalis Crassus euadet, Intellectiui autem alia ratio est: hic enim (vt aiunt) ex doctrina plurimum habet generationem. Prudentia verò intellectiuus est habitus, ob eamq; rem non modò in philosophia morum docetur, sed alienis quoque exemplis in Historia comparatur; Eadem ratione vtendum est ad probandum Historicam Narrationem veram esse oportere, Prudentia enim est habitus quidam verus: sunt autem intellectiui habitus, inhærentes quædam intellectiuæ propositiones; veræ autem propositiones non nisi ex principijs veris rectè inferũtur; principium autem Prudentiæ experientiæ propositio est, & hæc vera esse nequit, si falsa sint quæ narrantur, nam ex his colligitur. Necesse est igitur Historiam esse Narrationem veram rerum actiuarum gestarum. Solutio.

De Necessitate Historiæ, & Comparatione illius cum actiua Philosophia. Cap. VII.

QVæ hucusq; tradidimus ad naturam, essentiamuè Historię pertinere videntur, ex quibus quid ipsa sit satis perspicere possumus nunc, Etsi multa dicta sunt de vtilitate illius, ac præsertim vbi demonstratũ est, qua ratione ab ea eruatur prudentia; nõnulla tamen dicẽda restant, quæ dubia erunt, si prætermittantur; & scitu digna, si laudabiliter explicentur; nam verè ex ijs, quæ diximus non benè intelligitur, quæ sit Historiæ necessitas: Cum enim eius finem dicamus esse prudentiam sanè vidẽdum est, quomodo superuacanea non sit, cum idem finis ad actiuam philosophiam pertineat; nec enim benè respondetur actiuam philosophiam nisi ad prudentiam præceptionibus Hi-

Historiam verò experientia: nam id esse falsum manifestissimè apparet ex libris summorum philosophorum, qui apud nos extant de rebus politicis; hi enim non modò præceptionibus vtuntur, sed adhibent exempla sæpissimè, quibus suas probent conclusiones; Et verè negari non potest actiuam philosophiam esse facultatem, vel doctrinam, quæ suas conclusiones demonstret omni argumentorum genere, ac propterea cum exempla argumenta quædam sint, ijs quoque eam vti, inficiari non possumus. Hinc fit prudētiam quæ ab exemplis deducitur ad actiuam philosophiam pertinere non minus, quam illā quæ rationibus elicitur ex fine operationum; Hæc autem si vera sunt, vel falsum est prudentiam esse Historiæ finem, vel labor Historiarum superuacuus est cum ab actiua philosophia omnigenam prudentiam habeamus. Hoc itaque in primis negare non possumus actiuam philosophiam omnibus argumentationum generibus vti ad suas probandas conclusiones, ac propterea etiam exemplis; quorum materia existunt actiones humanæ, quæ congeneæ sunt conclusionibus actiuæ philosophiæ; ex quo fit prudentiam quoque, quæ oritur ab experientia in actiua philosophia doceri. Verùm ne superuacanea videatur Historiarum diligentia dicendum est; Philosophum actiuum exemplis quidem vti, verum illa sumere ab Historia, nam propositio nisi sit benè nota cōclusionem ignotam minimè probat; quare si exemplum ignotum afferatur, profectò robur probandi non habebit; propterea philosophus exemplis elaboratis vtitur; elaborat verò minimè, non enim Historiam narrat, dum probat, sed præsupponens nota esse ex Historia adhibet illa ad conclusiones probandas; Historia igitur exempla elaborat, notaq; facit; Actiuus autem philosophus illis elaboratis, & notis vtitur: Hic est primus, ac præcipuus vsus Historiæ, nam alios supra iam ostendimus, ac præsertim prudentiam docere eos, qui ineruditiores cum sint aditum ad philosophiam non habere: Animaduertendum est tamen dum quis prudentiam discit ab Historia

philo-

philosophum euadere, nihil enim refert si quis habeat conclusiones philosophicas, hoc est prudentiam continentes, in philosophia probatas, vel à se ipso; quemadmodum neque minus medicus erit qui à se ipso, quam qui ab Arte medica morborum curationem didicerit: Idq; ex eo maximè constat, quod in philosophia actiua, & si non in particulari, at saltem in vniuersali, tractata inuenietur illa materies, in qua Historiarum lector sibi ex rebus narratis format conclusiones; at verò ad quem artificem pertinet alicuius materiæ genus, ad eundem spectant etiam sub eadem consideratione species, & indiuidua: propterea non minus politicus est, qui de sananda corruptione Resp. Atheniensis disserit quam qui agit de corruptionibus sanandis rerump. in genere. Ex his quæ diximus infertur Historiam esse actiuæ philosophiæ partem, nam cum obiectum, vel finis facultatum, & Artium ipsas constituat, idemq; finis sit actiuæ Philosophiæ, atque Historiæ, scilicet prudentia, nisi quod actiua philosophia ad eandem prudẽtiam pluribus vijs nititur quam Historia, quæ exemplis tantũ vtitur; dicendum est quod quemadmodum finis Historiæ est pars finis actiuę philosophię, ita quoque Historia est pars eiusdem philosophiæ: quod facilè quisquis intelliget si Historias curationum quarundam particularium agnouerit à pręclaris Medicinæ professoribus esse descriptas, & libris medicis admistas; & vulgo ab omnibus existimari Historiam de Animalibus, de plantis, de mineralibus partẽ esse naturalis philosophię, propterea quemadmodũ rerum naturalium Historia pars est naturalis scientię, & rerum medicarum, siue curationum Historia, est pars artis medicæ; pari ratione rerum actiuarum narratio, est pars actiuæ philosophiæ: Hic tamen illud silentio prętereundum non videtur valde diuersam habitudinem habere Historiam rerum naturalium ad scientiam naturalem, & Historiam rerum gestarum ad actiuam philosophiam: nam Historia naturalis narratur, vt cognitis ijs effectibus, qui natura constant, causę quęrantur, Quõ Historia sit Actiuæ Philosophię pars

quod

quod sit in scientia naturali, siue contemplatiua philosophia; Historia verò rerum gestarum scribitur. vt inde pręcepta actiuę philosophię roborentur: quapropter in scientia naturali probantur tanquàm conclusiones ea quę in naturali Historia narrantur: at verò in actiua philosophia ex ijs quę in Historia rerum gestarum narrantur, fit probatio eorum quę ibi dicuntur, atque pręcipiuntur: ex quibus apparet Historiam naturalem continere conclusiones scientia naturalis: Historiam verò rerum gestarum continere principia, quibus ad suas probationes vtitur actiua philosophia.

Comparatio Historiæ cum Poesi. Cap. VIII.

OStendimus abundè, vt arbitror Historiam esse partem actiuę philosophię, non quod tractationi, pręceptionibusuè de rebus actiuis admiscēda sit, quemadmodum probatos authores videmus admiscuisse Historiam naturalem naturali philosophia, id.n.operosum esset, tū actiuam philosophiam tradenti, tū verò etiam addiscenti, cum infinita sint propemodum volumina, quibus res gestę narrantur; sed quod etsi separatim scribitur ad eam tamen facultatē pertinet, cuius additamētum quoddā est, & appendix, ac declaratio propositionū quibus illa vtitur tanq̃ notis, ac manifestis ex Historica narratione. Nunc volumus eam cum poesi comparare, vt intelligatur vtra earum sit in ciuili societate pręstantior; Quoniam verò vniuersa hęc cognitio à fine ducenda est, nam finis, vt diximus, artes, facultatesuè constituit, ac perficit; cum satis in Historia fine cognoscendo laborauerimus; dicendum est de fine poesis, parcè tamen, ac sobriè, nam in arte poetica, vbi locus est; sufficienter hac de re tractaturi sumus. Dico igitur finem poesis esse persuasionem per conficta, vel amplificata exempla efficiendam, tres enim facio Poesis species, Scenicam, Epicam, Lyricam; Scenica

Poesis species.

verò

verò in duas diuiditur partes, Comicam, & Tragicam. Igitur finis Comicæ poësis est, persuasio deponendi quosdam affectus, siue etiam habitus: sciendum est enim breuiter; in ciuili societatem, dupliciter errari posse, uel itaut societas detrimentum patiatur, ac etiam dissoluatur ni remedia adhibeantur, uel ita vt parum inde incommodi ciuilis vita accipiat: grauia igitur peccata legibus prohibētur, & puniuntur (loquimur enim modo de priuatis ciuibus, qui subsunt legibus) at verò de leuibus, & minimis leges non curant; ea tamen politicus desiderat à ciuibus procul abesse; ob eamq; rem persuasionem adhibit, quæ vt libentius suscipiatur instituta est poesis Comica, quæ effictis exemplis peccatorum similium, veluti imaginem errantibus proponit, qui agnoscentes narratas actiones suarum similes, vel ridiculo explodi, vel malo euentu terminari, facilè inducuntur ad exuendum animum ea perturbatione, vel habitu, qui erat illarum actionum principium: sunt autem vel amores iuuenum, vel auaritia senum, vel filiorum inobedientia erga parentes, vel patrum indulgentia nimia, seueritasuè erga liberos, & huiusmodi, quæ ad concupiscibilem, irascibilemq; facultatem spectant, & is est, vt compendio dicamus, Comicæ poesis finis; At verò Tragica altius assurgit, et cū exempla Regum, ac Principum proponat, manifestum est eius vtilitatem ad Reges, Principesq; dirigi, vt alibi ostendetur. Igitur cum Principes supra leges sint, earumq; pœna coerceri non possint, Tragedia exemplis quibusdam vtitur, vt Principes, & qui imperant eorum exitus perhorrescant, quorum facta imitantur: Hinc enim fortè resipiscunt, & dum fines timent infælices, paulatim deponunt prauos affectus, habitusuè, quibus impellebantur ad ea patrāda, quæ vitæ ciuili officiebant; sunt autē vel abusus alienarū mulierū, vel crudelitates in persequēdis, interficiendisuè ciuibus, aut auaritia in vectigalibus, impositionibusq; grauādis subditis, at (vt vno uerbo dicam) sunt affectus partis concupiscibilis, atque irascibilis, quas Tragicus

Finis specierum Poesis. Comicæ finis.

Finis Tragediæ.

sanare contendit. Postquàm verò poesis Principem persuasit exemplis tragicis, vt ab inhonestis actionibus abstineat, eiusq́; exuperantes, turpesq́; affectus purgauit; iam tanquàm à malis cupiditatibus liberum nititur ad aliquod praeclarum facinus impellere; propterea exempla bellicarum, siue ciuilium actionum à claris viris, atque illi simillimis proponit Epica narratione: quibus si quando Princeps persuasus aliquid praeclari ad publicam vtilitatem gerit, Poesis debita laude illum non fraudat; & hinc orta est pars Lyrica; quae cum dignam laudem tribuit benè merentibus; tum verò alios impellit ad honestè operandum, nam animi nobiles studio laudis, & gloriae ad praeclara facinora facilè incenduntur: Ex his igitur constat finem Poesis esse persuasionem hoc est impulsum ad abstinēdum ab aliqua re turpi, vel ad patrandum aliquod nobile, ac ciuili vitae perutile facinus. Historiae autem diximus esse finem prudentiam, hoc est rationem rerum agendarum; quapropter videndum est, quid in ciuili vita sit praestantius, vel scilicet huiusmodi persuasionem facere, vel prudentiam docere: & quidem in vnoquoque genere, id quod est summo, ac perfectissimo proximius videtur praestantius ijs, quae remotiora sunt; sicut perfectiora sunt ea in genere entium, quae sua natura, atque essentia propius ad naturam, essentiamq́; diuinā accedunt; qua ratione homo praestat caeteris animantibus; summum in genere finium vitae ciuilis, est beatitudo: caeteri fines, qui propius ad illam accedunt, perfectiores habendi sunt: est autem beatitudo ciuilis actio secundum virtutem, vt fama celebriores philosophi nobis tradiderunt: quare videndum est, vtrum persuasio, an prudentia sit magis proxima huic actioni; & quidem manifestum est neminem faciendi aliquid rationem addiscere, qui illud facere nolit; ab ijs enim qui temerè non operantur, sanè id non addiscitur, quod sibi nullius vsus futurum est: at verò si quid operari desideret tum demum, vt commendabiliter operetur, rationem quaerit operandi. Igitur primum quis

Finis Epicae Poesis.

Finis Lyricae Poesis.

indu-

inducere ſibi in animum debet aliquid facere, ac poſtea rationem faciendi addiſcere. Hinc ſequitur, perſuaſionem honeſtè agendi in ciuili vita, præſupponi à ratione honeſta rectè agendi; hoc eſt à prudentia, nam cum quis perſuaſus eſt ad benè agendum, tum demum quo modo ſibi operandum ſit honeſta quę cupit, addiſcere contendit, ac tum laudabiliter operatur., hinc fit propinquiorem eſſe actioni ex virtute prudētiam, quam perſuaſionem, & hoc abſque dubio nullam habet difficultatem, nam prudentia eſt finis immediatus ciuilis philoſophiæ; hæc autem inter omnes facultates ad ciuilem vitam pertinentes ſuprema eſt; quare eius quoque finis omnibus alijs præſtat; quæ ſi vera ſunt, ſatis eſt manifeſtum longè præſtantiorem eſſe Hiſtoriam, quam Poeſim: idq; verum eſt etiam ſi concedamus, quod nonnulli arbitrantur: Hiſtoriam eſſe Artem ab actiua philoſophia ſeparatam, atque illius Inſtrumentum, vt cæteræ omnes artes ſunt: nam cum nobilior illius finis ſit, quam finis poeſis, certum eſt ipſum quoque Poeſi præſtare: quod ſi ſit pars actiuæ philoſophiæ, vt probauimus, ea erit inter has duas artes comparatio, quæ eſt inter ſeruum, & dominũ, ſiue inter inſtrumentum, & is qui vtitur inſtrumento: quare minimè verum eſt Poeſim Hiſtoriæ eſſe præſtantiorem, quòd poeſis verſetur circa vniuerſale, Hiſtoria verò circa particularia; nam artium, facultatumuè præſtantia à materia minimè ſumitur, ſed à fine, is enim eſt qui eas conſtituit, ac perficit.

De comparatione Hiſtoriæ cum Oratoria. Cap. I X.

VErum ex his, quæ proximè dicta ſunt poſſet meritò aliquis dubitare quid ſentiendum ſit de Arte oratoria, nam cum illius quoque finis ſit perſuaſio, eadem videtur ratio contra illam facere pro Hiſtoria, quæ cōtra Poeſim facit: tamen multi ſunt qui facilè Hiſtoriam poeſi præferent; at verò Arte

oratoria esse præstantiorem minimè concedent: quoniam igitur hæc consideratio, si parcè fiat, non omnino huic tractationi extranea censenda est; dicenda nobis aliqua videntur de illarum comparatione: & quidem quid Historia sit, & quis, qualisuè eius finis, satis, superq́; diximus, quare ne frustra eadem repetantur; de oratoria tãtum nunc dicere oportet. Primum autem illud sciendum est, quod eruditi viri animaduerterunt, differentiam esse inter Rhetoricam, & Oratoriam; Rhetorica enim ars est quæ docet persuadere; Oratoria verò quę iam persuadet, præceptisq́; Rhetoricæ vtitur: & nos in præsentia comparamus non artem Rhetoricam, sed Oratoriam cum Historia. Verum in hoc difficultas nos manet, nam vetus opinio fuit, & si quibus ea rationibus probaretur non constat oratorem, & ciuilem virum idem re esse differre autem ratione; ob eamq́; rem Oratoriam, & ciuilem non duas, sed vnam tantum esse facultatem; quod tamen adeo improbatum est ab antiquis, clarissimisq́; scriptoribus, vt iam explosa sit hęc opinio; fit enim plerunque, vt authoritates magnorum virorum sequamur, quia rationes quęrere, veritatesq́; rerum perscrutari multo otio summo labore, ac nõ vulgari intellectus acumine indiget. Nos autem dicemus quid in hac re verisimile nobis videatur: ac primum quidem scire oportet, quod quando dicitur idem esse oratorem, & ciuilem virum, Ciuilem non accipi pro eo, qui facultatem politicam, siue artem ciuilem docet qui philosophus est; sed pro eo qui illa vtitur, & præest Resp. suisq́; ciuibus imperat, propterea ad cauendam æquiuocationem ciuilem docentem, philosophum appellabimus; si quando opus erit. Ciuilem verò operantem, vel Ciuilem simpliciter dicemus, vel Principem: Manifestum est itaque finem Oratoriæ artis esse persuasionem, nam orator is dicitur, qui quantum potest persuadere contendit. Persuadere autem est ad agendum volentem propellere, hoc est non coactè, quod imperio, & iussu fit, nam hæc quando principis sunt, & eius pęnes quem est ius imperandi ad agendum obligant, sed

[Margin: Vtrũ sint idẽ Orator, & ciuilis.]

[Margin: Probatur a fine idẽ esse re ciuilẽ, & oratorem.]

[Margin: Persuadere quid.]

sponte

sponte voluntatem alicuius mouere specie boni ad aliquod ita appetendum, vt inde actio sequatur propter rem expetitam. Verum dicamus persuadere esse ad agẽdum impellere. Persuadere autem illius officiũ est qui vult ab alio aliquid fieri; at verò ciuilis vir tantum, & is qui imperat de aliorum actionibus sollicitus est: quod ità declarandum videtur: Principatus nullum alium ob finem institutus est, nisi vt is qui eo munere fungitur, sit dux eorum qui reguntur ad fęlicitatem; cum enim omnes homines faciat natura æqualiter liberos; cætus quidam sibi imperantem aliquem adsciscunt, atque imponunt, vt eius ductu possint ad quam contendunt fęlicitatem facilius peruenire: est autem fęlicitas, vt celebriores philosophi tradiderunt actio quædam, vel certè non sine actione; quapropter munus est eius qui imperat dirigere subditos ad actionem fęlicitatis; & quidem volentibus operari, auxilia præstare, impedimentaue remouere; nolentes verò, impellere quocunque modo; cum enim omnes æquè illi subditi sint, & ęquè omnibus imperet, nõ modò volentes ducere, sed inuitos trahere debet ad fęlicitatem: quare Princeps versatur circa actiones suorum ciuium; cum eos quocunque modo (vt diximus) ad agẽdum propter fęlicitatem impellere debeat: at verò persuadere, iam dictum est, esse ad agendum impellere: quare id nullius potest esse munus præter quam illius, qui pro fine actiones aliorum efficiẽdas habet; vel (vt apertius dicamus) illius qui debet alios mouere, atque impellere ad agendum: qui est vir Ciuilis, siue Princeps. Verum dicet aliquis; haud est dubium quin ciuilis, siue Princeps debeat Ciues ad agendum impellere, sub hoc enim nomine comprehendimus etiam suum oppositum, quod est prohibere ab agendo; nam profecto qui vult agi honesta, prohibet agi turpia; sed impulsus hic à Principe non fit persuasione, sed iussu; nam Principis non est munus persuadere, sed imperare; est enim Princeps primus, & dominus, & huius actio erga inferiores est iubere, cum persuadere videatur actio erga æquales; vel etiam superiores: quare

Principatus adq.d institut.

Princeps

Princeps impellit imperando, orator verò, qui alius est, persuadendo. Vt huic difficultati respondeamus multa dicere oportet. Primum, agere nos hic de actionibus in vita ciuili, in ea verò nullus curat de alterius actione, quatenus alterius commodum actio respicit, qui de eius fęlicitate non curet; actiones enim omnes vel mediatè, vel immediatè fiunt propter fęlicitatem: at verò fęlicitas ciuium finis est ad quem ducere illos Princeps contendit, & propter quem, iam est dictum, illum laborare de actionibus eorum; quare quod aliquid fiat, vel non fiat à ciuibus in vita ciuili, nullus ex officio curare debet, prater Principem: sunt autem in ciuili vita duo genera actionũ, quadam, quæ ad ciuilem societatem tuendam, & conseruandam necessariò fieri à ciuibus, vel à quibus abstinere debent, quadam verò quæ necessaria non sunt, sed ad benè esse, & quæ fieri possunt, vel non fieri, vel multis modis, vel diuersis temporibus, & huiusmodi; sine quibus ciuilis societas stare potest, etiam si ab ijs, vel factis, vel hac circumstantia factis magna vtilitas sequatur: actiones igitur, quæ necessariæ sunt, ad essentiam pertinent societatis ciuilis; & à Principe legibus imperantur, obligantq́; subditos ad obtemperandum: quæ verò necessaria non sunt, pertinent ad bene esse, & non imperantur à Principe, sed persuadentur, & quando imperat, Princeps dicitur; quando persuadet non Princeps, sed orator; non enim tunc vtitur auctoritate iubendi, neque mouet formidine pęna voluntatem ad aliquid appetendum, sed sub specie boni eandem allicit ad agendum; tamen siue iubeat, siue persuadeat idem est; is scilicet qui de actionibus suorum ciuium debet esse sollicitus, & qui omni ratione vult eos ducere ad fęlicitatem; siue timore vt fit legibus, siue spe bona, vt fit persuasione. Verum dicet rursus aliquis non modò Princeps persuadet suis ciuibus aliquid faciendum, sed Ciues Principi, idq́; videtur magis proprium, nam Princeps, vt diximus, iubet; at verò Ciues Principi iubere non possunt; propterea vtũtur persuasione; quod si is qui persuadet Princeps est, iam

Quis de alienis actionibus curet.

iam subditi Principes euadent persuadendo: Huic dubitationi facilè respondetur: Principi proprium esse ciuibus suis persuadere, quia ex se, & natura sua non modò sollicitus esse debet de ciuium actionibus, sed eas nosse, quas, qualesuè esse oporteat, & cum alijs præsit, Ducatumq; ad fœlicitatem præbeat, multo magis quid sibi agendum sit cognoscere debet: accidit autem sæpenumero, vt Princeps ea prudentia non sit, qua esse deberet, propterea Ciues patriæ, ac ipsius Principis amatores, supplent illius defectus, & quid illi agendum, aut à quo sit abstinēdum proponunt, & persuadere nituntur; ex quo intelligitur persuasionem huiuscemodi per accidens esse, nam verè, & ex natura sua Princeps debet subditorum operationes dirigere; non subditi actiones Principis; ad ipsumq; pertinet videre quid Ciues faciant, vel delinquant, non Ciues, quid Princeps; nam Dux ipse est ad beatitudinem Ciuium, non è conuerso; quapropter per accidens ciues persuadent Principi; nos autem de ijs, quæ per se sunt, & ex natura sua loquimur, dicimusq; eum qui præest subditis persuadere, eodemq; modo respondendum est, si quis obijciat æquales, æqualibus persuadere, nam eo tempore munere superioris absque dubio funguntur, is enim est, & non alius, qui de alienis actionibus curam, & sollicitudinem habere debet. Quapropter cum persuadere sit finis quo ars oratoria constituitur, is autem sit ciuilis viri proprius, vel Principis, itaut ad nullum alium spectet; manifestum est oratorem, & ciuilem virum, siue Principem idem esse re; differre autem tantum ratione, nam qua iubet, ac legibus vtitur propriè Princeps dicitur in iubendo enim videtur natura Principatus esse constituta; qua verò prætermissa authoritate imperandi, persuasione vtitur, orator dicitur, eruntq; hac ratione duo Principis instrumenta, quibus vtitur impellendo Ciues ad agendum, leges, & oratio; siue iussa, & persuasio; & quidem leges adhibet, vt dictum est, in ijs rebus, quæ sunt necessariæ, atque essentiales ad ciuilem societatem tuendam, seruandamq; persuasionem verò

Principi persuasio fit per accidēs.

Duo sūt Instrum. quibus vtit Princeps, vt ciues ad agēdum impellat.

in ijs, quæ sunt ad benè esse, & quæ vel prætermitti possunt, vel secundum aliquam circumstantiam: Nec obijciatur posse persuasionem extendi ad ea etiam, quæ sunt societatis necessaria, nam nos de ijs, quæ per se sunt loquimur, vt iam diximus; at verò in necessarijs leges adhibēdæ sunt, ne omnino prætermittantur, & ne corrumpatur, dissoluaturq; societas, quod si vt ea libentius Ciues faciant persuasione Princeps vtatur, id per accidens facit, sed tamen, Princeps semper est, nec alienam induit personam. A fine igitur satis probatum videtur Oratorem, & Principem idem re esse, ac ratione tantum differre; Nunc verò facilius à materia idem probabitur, nam persuadere (vt iam diximus) est voluntatem ad aliquid appetendum ita allicere, ut inde propter expetitam rem actio sequatur, at uerò quicquid expetitur speciem boni habeat necesse est, voluntas enim in bonum tanquàm in suum obiectum fertur: quapropter qui aliquid persuadere nititur illud speciē aliquam boni habere ostendit; at verò quæ bona quæ mala sint ostendere ad ciuilem uirum spectat; nam quemadmodum proprium est philosophi contemplatiui docere quid uerū sit, quid falsum, ita actiui quid bonum, & quid malum: quare qui persuadet profectò in materia ciuili uersatur, de illaq; loquitur; at uerò qui loquitur de rebus naturalibus, & quid, qualesuè illa sint ostendit, absq; dubio philosophus naturalis est; similiter qui de rebus medicis medicus est; quare qui de rebus bonis, malisuè loquitur is actiuus philosophus sit necesse est; quod si quis dicat actiuum philosophum de rebus actiuis, ut sunt bona, uel mala in genere tantum loqui, oratorem uerò in particularibus uersari, omnino id uerum dicit, sed non ob id Orator minus ciuilis est; nam si quis de fluxu, & refluxu maris differat, uerè philosophus naturalis est, at uerò si de fluxu, & refluxu maris Adriatici loquatur, rationemq; reddere contendat, non minus est philosophus naturalis; quemadmodum neque minus medicus, qui quomodo sananda sit febris Pompei docet, quam qui quomodo sananda

Probatur a materia idē re esse ciuilē virum, & oratorē.

nanda sit febris simpliciter ostendit; ac deniq; non minus militaris vir qui quo pacto sit cum Annibale certandum considerat, quam qui quo pacto cum Hoste simpliciter certandum. Igitur etsi orator verba faciat de hoc particulari fœdere sanciendo, vel de hac lege instituenda; non minus ciuilis est, quam qui simpliciter de fęderibus sanciendis, ac de legibus ferendis sermonem habet: nam ad quam partem, facultatemue spectat genus, ad eandem & species spectant, ac indiuidua: quoniam verò qui docent in generalibus versari coguntur, vt demonstrationes construere queant, rationesq; ad necessitatem quà possibile est reducere: qui autem operatur in particularibus versatur; hinc est quod actiuus philosophus de rebus actiuis generaliter loquitur; At verò Ciuilis & Princeps, qui iam agit de particularibus est solicitus & si quid persuadere velit, vt ad particularia descendat oportet, sed tamen dum de illis loquitur, vt persuadeat, argumentis ciuilibus vtitur, & quos in actiua philosophia addidicit; nam quemadmodum qui circa particularia rerum naturalium sermonem habet, vtuntur rationibus naturalis philosophię, & qui de febre Pompei sananda loquitur, vtitur rationibus ab arte medica ductis; ita, & qui de re aliqua particulari ciuili orationem habet, si eam vel bonam, vel malam ostēdere velit, rationibus ductis à philosophia actiua vtatur necesse est: At verò qui in rebus ciuilibus argumentis, & rationibus ciuilibus vtitur manifestum est ciuilem esse, quemadmodum naturalis qui rationibus naturalibus: igitur orator qui ciuilia tractat, in ijsq; argumentationes facit, omnino ciuilis est. Quapropter orator & Princeps idē sunt. Verum potest quis ita obijcere: si orator & Princeps, siue ciuilis vir idem sunt, ars quæ vnum instruit, alium quoq; instruet. At verò ars, siue facultas, quæ ciuilem virum instruit, est philosophiæ ciuilis, siue actiua; quæ verò instruit oratorem est Rhetorica; hæ igitur facultates non erunt duæ, sed vna; quod sanè magnum absurdum videtur: Nemo enim vnquam concedet Rhe- Dubitatio.

 toricam

toricam & ciuilem facultatem; siue actiuam philosophiam idem esse, vel Rhetoricam esse huius philosophiæ partem integralem; Hanc difficultatem vanam esse, rationemq́; nullum habere robur exemplo ostendetur: Ducamus sic Logica, & philosophia contemplatiua duæ scientiæ sunt, vel facultates distinctæ; qui igitur secundum illas operatur artifices distincti erunt, at vero quando philosophus contemplatur, demonstrationesq́; facit quas logicus docet, non logicus est, sed philosophus, & quando etiam probabiliter arguit, non logicus, sed si in materia contemplatiua versetur, contemplatiuus est philosophus: logica igitur artificem operantem quem denominet non habet, sed ipsa docet, qui autem illius vtuntur præceptis denominationem accipiunt à materia, in qua faciunt argumentationes: pari igitur modo dico Rhetoricam esse artem ab actiua philosophia distinctam, nullum tamen habere distinctum artificem ex illa operantem; sed qui illius præceptionibus vtitur orator est, hoc est ciuilis vir. Huius ratio est quoniam, vt logica modum probandi docet aliquid verum esse, vel falsum, ita Rhetorica aliquid esse bonum, vel non bonum: vnde operans ex logica scientificus dicitur, denominaturq́; vt dictum est, à materia, & ex præceptionibus Rhetoricis loquens, ciuilis vir appellatur: Quoniam verò nullus potest ostendere aliquid esse bonum, vel malum, quin probet aliquid esse, vel non esse; huiusmodi autem probationes ad logicā spectare videntur; ocurrit ardua sanè dubitatio quomodo logica differat à Rhetorica; verū hęc maior est difficultas, quā quæ proposita est; & à nobis tractabitur in ijs, quæ de Rhetorica; hic enim ea tantum dicere oportet, quæ necessaria sunt ad comparandum Historiam cum oratoria: Satisq́; nobis sit ostendisse, quod etsi Rhetorica Ars est ab actiua philosophia distincta, non tamen is, qui ex ea operatur est Artifex à ciuili viro distinctus; quemadmodum nec scientificus, siue philosophus contemplatiuus à logico operāte, hoc est vtente logicis præceptionibus. Sit igitur probatum oratorem

Solutio.

idem

idem re esse cum ciuili viro, nam alio loco vberius eadem difficultas tractabitur: Nunc accedamus ad comparationem Historiæ cum Oratoria, & quidem si vera est ratio, qua Historia poësi proposita est, nullam habet dubitationem oratoriæ quoq; esse præferendam, nam prudentia qui est finis Historiæ præstantior est persuasione, vt dictum est, qui est finis oratoriæ: Verum ex alia parte secus videtur. De duabus enim Artium siue facultatum partibus, operante scilicet ac docente; manifestum est præstantiorem esse operantem: cum docens sit propter illam, & operans sit proximior fini, at vero Historia pertinet ad philosophiam actiuam vt diximus, hoc est ad illius partem, quæ docet, ac instruit virum ciuilem: oratoria vero est Ars operans ex præceptis actiuæ philosophiæ, cum sit conclusum idem esse oratorem, & ciuilem virum: quare oratoria longe videtur Historia esse præstantior: quæ ratio cum vera sit atq; adeo necessaria soluenda est difficultas, quæ oritur à præstantia prudentiæ supra persuasionem; ea verò soluitur hoc pacto. Duo sunt genera persuasionum; vnum est ad persuadendum bonum simpliciter, & vniuersaliter, quæ persuasio fit improbis, aut ijs qui adhuc nullum habitum neq; bonum, neq; malum contraxerunt, ob idq; persuadentur, vt bonis operibus se applicent: aliud verò persuasionis genus est ad bene aliquid spaciatim agendum, quod fieri, vel non fieri potest, vel multis modis, vel multis circumstantijs, vel quod etiam non cognoscitur ab eo, qui persuadetur. Igitur prima persuasio est ad malos exuendos habitus bonosq; induendos; secunda uerò ad operandum propter fęlicitatem: prima persuasio præcedit notitiam bene operandi; nullus enim addiscit qua ratione bona agantur nisi qui iam probus est, & uoluntatem habet operandi bonum; at uerò secunda persuasio notitiã agendi bona præsupponit, uel non repugnat illi, quod præsupponatur: nam postquam quis ad honesta se uoluntate conuerterit, notitiam eorum quærit, ut ea rectę operari possit: Horum igitur terminorum is ordo est, ut præstantior sit uolun-

Comparatur Historia cũ Oratoria.

tas agendi particulare aliquid bonum, quàm notitia; nam particularem uoluntatem sequitur actio, at quod ad finem ultimum, quæ est actio, proximius accedit, nobilius est; hanc uoluntatem nobilitate, & præstantia sequitur notitia rectè agendi; Vltimo autem loco purgatio ab affectibus, & conuersio uoluntatis ad bonos habitus. Ex his quæ modo diximus soluitur dubitatio, quomodo non sit idem quoq; Poeta & Ciuilis uir, si sunt idem Orator & Ciuilis, cũ idem finis utrisq; sit persuasio: Declaratum est enim persuasionẽ quæ est finis Poesis diuersam esse ab ea quæ est finis oratoris; orator enim cum sit Ciuilis, & is Architectonicus inter Agentes Ciuiles, uersatur circa finem supremum, & ultimum, quæ est beatitudo; at uero Poesis quæ Ars est à Ciuili distincta, atq; eius ministra; uersatur in persuasione eorum quæ non pertingunt immediatè ad finem Ciuilem: nam ut dictum est, persuadet purgationem affectuum, & bonorum habituum expetitionem, inter quæ, & operationem rectam, quæ ab oratore persuadetur; est doctrina rectè operandi, quæ ab actiua philosophia traditur: quare poesis non est facultas Ciuilis; nec Poeta Ciuilis vir, quemadmodum est orator, qui propterea Historicum nobilitate præcedit in vita Ciuili: & hæc de comparatione Historiæ cum Arte oratoria; de qua uberius loquemur in Rhetoricis preceptionibus.

De speciebus Historiæ. Cap. X.

INter multos iactata quæstio est de speciebus Historiæ, à quæ tamen non satis commodè se explicare uidentur: recensent enim inter eas Historiam, Annales, Comentarios, Vitas, Cronologias, Ephemerides, multis etiam inter se differre uidentur, quæ de Rege, quæ de statu paucorum, quæ de Populari Republica; complures Historiam diuidunt in particularem, & uniuer-

 uer-

uersalem ; Sunt qui introduxerunt Chiasmum, de quibus omnibus disserere oportet. Ego autem sic dico. Historia est narratio rerum gestarum propter prudentiam : ab hac itaq; petenda diuisio : nam vt scientiæ ab obiecto constituuntur, eodemq; ab alijs distinguntur, ità Artes à fine, cuius præcepta continent, & ad quem omnia dirigunt. Hæc tamquam certa sumenda sunt, ea enim probare, atq; ostendere altioris negotij est. Si igitur vnam esse dicamus Prudentiæ speciem, vnicam necessario faciemus Historię speciem. Quęrendum igitur num vna, & simplex sit Prudentia, an verò plures. Itaq; si vna est, qui rectè actionem vnam efficit, omnes rectè efficiet, at si contra Iugurtham, Cimbrosue Marium mittas, hos quidem ad internecionem cunctos deducet, illum verò trahet ad Vrbem vinctum in Triumpho; si ciuilibus rebus eundem præficias, Rempublicam discordijs penè collapsam videbis : intuere Catonis eius qui Vticæ sibi vim intulit, priuatæ vitæ rationem; haud immeritò complura in illo admiraberis; fac in publicis contentionibus de Republica disputare, nihil eo acerbius, pertinacius. optimo enim animo vtens; *inquit Cicero ad Atticum*; & summa fide, nocet interdũ Reipublicæ; dicit enim, tamquam in Platonis Politica, non tamquam in Romuli fæce sententiam; *propterea non videtur eadem omnium agendorum ratio, sed pro illorum diuersitate varia, & multiplex : ob eam rem quot in actiua vita actionum genera reperiuntur, Prudentiæ totidem esse species necesse est : & quidem aliunde petenda esset actionum humanarum diuisio, hic tamen fines huius Artis ne longius trascendamus, quam decet, ita eam instituemus. Omnis qui agit, vel priuata est, vel publica persona; si priuata vel sibi tantum consulit, vel familiæ præest, si publica, vel tempore pacis Rempublicam moderatur, vel tempore belli, militiam exercet. Quattuor hæc sunt genera actionum; quibus vniuersa continentur, nam reliquæ omnes facile in harum ordinem rediguntur. Quatuor igitur sunt Prudentiæ* Quotuplex sit Prudentia & vnde illi' diuisio sumatur.

species;

species; nam quæ principium est, & recta ratio ad se ipsum moderandum in se ipso, & ad alios in priuatis actionibus, atq; societatibus, nomine quidem caret, verum quia is verè priuatus est, priuatam vel moralem Prudentiam appellemus: patris familiæ prudentia Oeconomica dicitur; eius qui Rempublicam administrat tempore pacis Prudentia ciuilis: demum illius, qui militiam exercet Militaris. Hæc quatuor genera complectitur vniuersa Prudentiæ ambitus, ad quam comparandam Historia scribitur: propterea quatuor quoq; sunt actionum genera, quæ narrantur in ea, & quatuor historiæ species Priuata, siue Moralis, Oeconomica, Ciuilis, Militaris: quas tradi seiunctas non ita necesse est, vt inter se non misceantur, & vbi narratur militare aliquid, ciuile quoq; non possit: id autē adeo manifestum est, vt probatione non egeat. Idem videmus contingere in Arte Oratoria, nam etsi aliud est causæ genus, vt sentiunt ferè omnes Autores, demonstratiuum aliud iudiciale, aliud consultatiuum, in consultationibus tamen sæpe laudes adhibentur, iudicia in consultationibus, & in iudicijs consilia.

Pruden-tia Moralis.

Prudētia Oeconomica.

Prudētia Ciuilis.

Prudētia Militaris

De Cronicis Annalibus Ephemeridis.

Cap. XI.

Cronicę.

NVnc aliorum diuidendi rationem, & species quas inuenerunt inspiciamus: Cronicas quid appellant? Si enim narrationem cum ijs omnibus partibus, quas paulò infra dicemus addita temporum ratione, dico hanc esse Historiam non Cronicam vocitandam; nomen enim ab essentiali summendum, non ab eo, quod accidit; est autem illa temporum supputatio accidentale Historiæ: quod si propterea velint Cronicas dicere, vt Historiam significent, cum supputatione temporum; iam Cronicam non speciem faciunt Historiæ, sed aggregatum per accidens,

dens, quemadmodum qui senem dicit, non speciem hominis, sed hominem cum accidente quodam significat. Sin autem Cronicam vocent Cronologias, quæ passim circumferuntur, in quibus temporum ratio descripta est diligenter, res autem gestæ vix attinguntur; hæc neq; species Historiæ, neq; omnino Historia est; in hac etenim gesta narrantur propter prudentiam, non autem habetur temporum ratio propter numerum annorum, vel propter ordinem rerum factarum, vt in Cronicis; Suntq; Historiæ, & præsertim vniuersali maxime vtiles, non tamen propterea illius species, quemadmodum etsi Comosgraphia plurimum confert ad Historiarum intelligentiam; longè tamen sunt aliud, ab Historia. De Annalibus eadem ferè dicenda. Quæramus primum cur ità appellentur, & quidem cum à forma nomina summantur ab annis dici videntur. Si igitur Annales, vt quidam opinãtur est Historia pro annorum seriem digesta, necesse est annorum rationem, ac seriem esse illis essentialem, nam per essentialia quæq; species constituitur. In Historia vt in cæteris, & artibus, & actionibus duplex essentiale, finis à quo sumunt specificationem tanquam à forma, & essentialiter necessaria ad finem. Vt oratoriæ Arti persuasio, & dictio. At verò annorum series finis minime est Historiæ in vniuersum, neq; speciarum, hanc enim esse Prudentiam ostendimus. Similiter neq; est ad finem necessaria; prudentia enim annorum cognitione minime indiget, propterea neq; essentialis, neq; necessaria, imò etiam superuacanea est, vt paulo infra demonstrabitur: quod ex eo facilè constat; nam si sit essentialis, vel necessaria ad gignendam Prudentiam nulla species Historia annorum serie carebit, cum omnium sit finis prudentia; omnes itaq; Historiæ Annales erunt. Præterea non magis tempus, quam locus, in quo queq; res gesta est videtur actionibus necessarium, cur igitur tempora potius, quam loca speciem Historiæ constituunt? Appianus quidem Alexandrinus locis suas distinxit Historias, vt ipse fatetur, ac propterea bellum descri- Annales

psit

species; nam quæ principium est, & recta ratio ad se ipsum moderandum in se ipso, & ad alios in priuatis actionibus, atq; societatibus, nomine quidem caret, verum quia is verè priuatus est, priuatam vel moralem Prudentiam appellemus: patris familiæ prudentia Oeconomica dicitur; eius qui Rempublicam administrat tempore pacis Prudentia ciuilis: demum illius, qui militiam exercet Militaris. Hæc quatuor genera complectitur vniuersæ Prudentiæ ambitus, ad quam comparandam Historia scribitur: propterea quatuor quoq; sunt actionum genera, quæ narrantur in ea, & quatuor historiæ species Priuata, siue Moralis, Oeconomica, Ciuilis, Militaris: quas tradi seiunctas non ita necesse est, vt inter se non misceantur, & vbi narratur militare aliquid, ciuile quoq; non possit: id autē adeo manifestum est, vt probatione non egeat. Idem videmus contingere in Arte Oratoria, nam etsi aliud est causæ genus, vt sentiunt ferè omnes Autores, demonstratiuum aliud iudiciale, aliud consultatiuum, in consultationibus tamen sæpe laudes adhibentur, iudicia in consultationibus, & in iudicijs consilia.

Pruden-tia Moralis.

Prudētia Oeconomica.

Prudētia Ciuilis.

Prudētia Militaris

De Cronicis Annalibus Ephemeridis.

Cap. XI.

Cronicę.

NVnc aliorum diuidendi rationem, & species quas inuenerunt inspiciamus: Cronicas quid appellant? Si enim narrationem cum ijs omnibus partibus, quas paulo infra dicemus addita temporum ratione, dico hanc esse Historiam non Cronicam vocitandan; nomen enim ab essentiali summendum, non ab eo, quod accidit; est autem illa temporum supputatio accidentale Historiæ: quod si propterea velint Cronicas dicere, vt Historiam significent, cum supputatione temporum; iam Cronicam non speciem faciunt Historiæ, sed aggregatum per accidens,

dens, quemadmodum qui ſenem dicit, non ſpeciem hominis, ſed hominem cum accidente quodam ſignificat. Sin autem Cronicam vocent Cronologias, quæ paſſim circumferuntur, in quibus temporum ratio deſcripta eſt diligenter, res autem geſtæ vix attinguntur; hæc neq; ſpecies Hiſtoriæ, neq; omnino Hiſtoria eſt; in hac etenim geſta narrantur propter prudentiam, non autem habetur temporum ratio propter numerum annorum, vel propter ordinem rerum factarum, vt in Cronicis; Suntq; Hiſtoriæ, & præſertim vniuerſali maxime vtiles, non tamen propterea illius ſpecies, quemadmodum etſi Comoſgraphia plurimum confert ad Hiſtoriarum intelligentiam; longè tamen ſunt aliud, ab Hiſtoria. De Annalibus eadem ferè dicenda. Quæramus primum cur ità appellentur, & quidem cum à forma nomina ſummantur ab annis dici videntur. Si igitur Annales, vt quidam opinātur eſt Hiſtoria pro annorum ſeriem digeſta, neceſſe eſt annorum rationem, ac ſeriem eſſe illis eſſentialem, nam per eſſentialia quæq; ſpecies conſtituitur. In Hiſtoria vt in cæteris, & artibus, & actionibus duplex eſſentiale, finis à quo ſumunt ſpecificationem tanquam à forma, & eſſentialiter neceſſaria ad finem. Vt oratoriæ Arti perſuaſio, & dictio. At verò annorum ſeries finis minime eſt Hiſtoriæ in vniuerſum, neq; ſpecierum, hanc enim eſſe Prudentiam oſtendimus. Similiter neq; eſt ad finem neceſſaria; prudentia enim annorum cognitione minime indiget, propterea neq; eſſentialis, neq; neceſſaria, imò etiam ſuperuacanea eſt, vt paulo infra demonſtrabitur: quod ex eo facilè conſtat; nam ſi ſit eſſentialis, vel neceſſaria ad gignendam Prudentiam nulla ſpecies Hiſtoria annorum ſerie carebit, cum omnium ſit finis prudentia; omnes itaq; Hiſtoriæ Annales erunt. Præterea non magis tempus, quam locus, in quo queq; res geſta eſt videtur actionibus neceſſarium, cur igitur tempora potius, quam loca ſpeciem Hiſtoriæ conſtituunt? Appianus quidem Alexandrinus locis ſuas diſtinxit Hiſtorias, vt ipſe fatetur, ac propterea bellum deſcri- Annales

species; nam quæ principium est, & recta ratio ad se ipsum moderandum in se ipso, & ad alios in priuatis actionibus; atq; societatibus, nomine quidem caret, verum quia is verè priuatus est, priuatam vel moralem Prudentiam appellemus: patris familiæ prudentia Oeconomica dicitur; eius qui Rempublicam administrat tempore pacis Prudentia ciuilis: demum illius, qui militiam exercet Militaris. Hæc quatuor genera complectitur vniuersæ Prudentiæ ambitus, ad quam comparandam Historia scribitur: propterea quatuor quoq; sunt actionum genera, quæ narrantur in ea, & quatuor historiæ species Priuata, siue Moralis, Oeconomica, Ciuilis, Militaris: quas tradi seiunctas non ita necesse est, vt inter se non misceantur, & vbi narratur militare aliquid, ciuile quoq; non possit: id autē adeo manifestum est, vt probatione non egeat. Idem videmus contingere in Arte Oratoria, nam etsi aliud est causæ genus, vt sentiunt ferè omnes Autores, demonstratiuum aliud iudiciale, aliud consultatiuum, in consultationibus tamen sæpe laudes adhibentur, iudicia in consultationibus, & in iudicijs consilia.

Prudentia Moralis. Prudētia Oeconomica. Prudētia Ciuilis. Prudētia Militaris

De Cronicis Annalibus Ephemeridis.

Cap. XI.

NVnc aliorum diuidendi rationem, & species quas inuenerunt inspiciamus: Cronicas quid appellant? Si enim narrationem cum ijs omnibus partibus, quas paulò infra dicemus addita temporum ratione, dico hanc esse Historiam non Cronicam vocitandan; nomen enim ab essentiali summendum, non ab eo, quod accidit; est autem illa temporum supputatio accidentale Historiæ: quod si propterea velint Cronicas dicere, vt Historiam significent, cum supputatione temporum; iam Cronicam non speciem faciunt Historiæ, sed aggregatum per accidens,

Cronicę.

dens, quemadmodum qui senem dicit, non speciem hominis, sed hominem cum accidente quodam significat. Sin autem Cronicam vocent Cronologias, quæ passim circumferuntur, in quibus temporum ratio descripta est diligenter, res autem gestæ vix attinguntur; hæc neq; species Historiæ, neq; omnino Historia est; in hac etenim gesta narrantur propter prudentiam, non autem habetur temporum ratio propter numerum annorum, vel propter ordinem rerum factarum, vt in Cronicis; Suntq; Historiæ, & præsertim vniuersali maxime vtiles, non tamen propterea illius species, quemadmodum etsi Cosmographia plurimum confert ad Historiarum intelligentiam; longè tamen sunt aliud, ab Historia. De Annalibus eadem ferè dicenda. Quaramus primum cur ità appellentur, & quidem cum à forma nomina summantur ab annis dici videntur. Si igitur Annales, vt quidam opinãtur est Historia pro annorum seriem digesta, necesse est annorum rationem, ac seriem esse illis essentialem, nam per essentialia quæq; species constituitur. In Historia vt in cæteris, & artibus, & actionibus duplex essentiale, finis à quo sumunt specificationem tanquam à forma, & essentialiter necessaria ad finem. Vt oratoria Arti persuasio, & dictio. At verò annorum series finis minime est Historiæ in vniuersum, neq; speciorum, hanc enim esse Prudentiam ostendimus. Similiter neq; est ad finem necessaria; prudentia enim annorum cognitione minime indiget, propterea neq; essentialis, neq; necessaria, imò etiam superuacanea est, vt paulo infra demonstrabitur: quod èx eo facilè constat; nam si sit essentialis, vel necessaria ad gignendam Prudentiam nulla species Historiæ annorum serie carebit, cum omnium sit finis prudentia; omnes itaq; Historiæ Annales erunt. Præterea non magis tempus, quam locus, in quo queq; res gesta est videtur actionibus necessarium, cur igitur tempora potius, quam loca speciem Historiæ constituunt? Appianus quidem Alexandrinus locis suas distinxit Historias, vt ipse fatetur, ac propterea bellum descri- Annales

psit Hispanum, Africanum Illyricum; num igitur, ut anni speciem faciunt Historiæ annales, ita loca si apponantur efficiunt aliam speciem, quæ localis appelletur? Dicamus itaq; in Historica narratione seriem annorum esse superuacuam; à superuaneis autem rebus species in suo esse minime constituunt: Alij dixerunt Annales esse rerum gestarum narrationes plurium annorum seruato cuiusq; anni ordine; Historiam uero rerum narrationem, quibus interfuit is, qui narrat. Hac sententia Liuius non Historias composuit, sed annales per annos, enim digerit facta populi Romani, quibus minime interfuit, ob eamq; forte rem quodam loco ipse suum opus Annales appellat, Annales scripsit Polybius præsertim dum ea commemorat, quæ ante suam ætatem gesta sunt à Grecis, & à Populo Rom. Annales Tucidides, nam actiones, quas describit æstate, atq; hyeme distinguit. Salustius autem in Iugustino neq; historiam, neque Annales, nam huic bello minimè interfuit, annorum autem nulla apud eum mentio: quæ quoniam vana sunt propterea dicendum historiam esse narrationem veram rerum gestarum propter prudentiam, ob eamq; rem, si quis factum aliquod narrat vere, omnesq; illas adhibeat partes, de quibus infra dicemus, Historiam is absolutam componit, siue viderit ea, quæ gesta sunt, siue ab alijs acceperit, accidit enim hoc narrationi, atq; ità accidit, vt nihil in ea mutet, cur enim si eadem dicat qui interfuit, & qui abfuit, narrationem magis immutent, ac specie diuersam faciant; quam idem eodem modo si princeps narret, ac priuatus Ciuis; magis enim hi differunt inter se, quam qui rem vidit, & qui ab altero audiuit; si eadem, eodemq; modo narrent: Id re simili facilè intelligitur: differt ne specie imago Cæsaris per eum qui Cæsarem ipsum vidit effícta ab imagine, quā alius hanc primam imitās expressit? Vana hæc, & vanum velle à narratoribus narrationū species desumere, ac omnino ab agentibus specificationē actionum, quæ sunt ad finem: Miror autē inter fama, & doctrina celebres viros illam vigere opi-

In Historia annorū series est superuacua.

nionem

tionem eo annales ab Historijs differre, quod historia res narret, consilia interponens, instructiones acierum, loca, conciones, multaq; alia ornamenta; quibus omnibus carent annales; qui singulorum annorum gesta incomptè, ac breuiter memoriæ tradunt. Primum enim quod pertinet ad ornamenta, manifestum est eam essentialem differentiam facere non posse, nam accidentia, cum sint adesse possunt, & abesse præter speciei immutationem; quæ autem sunt necessaria, partes integrales, vt agens, finis, consilia, & reliqua Historiæ semper insunt, si modo perfecta sit, quod si absint, non propterea speciem variant, sed eam imperfectam reddunt, sunt enim huiusce partes non essentiales, sed integrales, vel quantitatiuæ quarum aliqua, siue etiam aliqua præter subiecti immutationem essentialẽ non modò aliæ esse possunt, sed etiam nullo modo adesse: neq; enim homo erutis oculis ab homine oculos habente specie differt, neq; capillatus à caluo, præterea si essent partes essentiales, non tamẽ priuatio illarum speciem diuersam faceret, nam differentiæ cõstituentes speciem, sunt aliquid reale, & positiuum, priuatio verò, qua talis non est quid reale, ob eamq; rem non potest speciem constituere. Sunt igitur annales non vna species Historiarum; sed vagant per omnes species, suntq; Historia imperfecta: nam verè ab initio res gestas breuiter memoriæ commendabant, ne obliuione intercideren t, & quemadmodum Ephemerides acta diurna, ita illi annua continebant, quæ videtur vulgata, & communis apud antiquiores annalium significatio. Quomodo autem ab optimo Poetarum dictum sit; Et vacet annales nostrarũ audire laborum, *& quam vim habeant illa verba alibi commodius explicabo. Interea tamen rectè ne senserint, qui opus Taciti in Annales, & Historias diuiserunt; Siue id suopte iudicio fecerint, siue ipsiusmet autoris testimonio, ex his quæ diximus satis constare arbitramur.*

De Commentarijs, & Vitis. Cap. XII.

Commentarius quid sit M.T. ostendit, nam ad Atticum de Commentario, quem de consulatu suo grecè composuerat; quamquam, *inquit*, ad me rescripsit iam Rhodo Possidonius, se nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum vt orna ius de ijsdem rebus scriberet miseram, non modo, nam excitatum esse adscribendum, sed planè perterritum, *& paulò post*. Ita vulgo qui instabant vt darem sibi quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. *In Bruto autem de Commentarijs magni Cæsaris*, sed dum voluit alijs esse paratum, quod scriberent; *ex quibus dilucidè intelligitur, quid nomine commentariorum significetur: videntur enim hi memoriæ quædam rerum gestarum ne obliuione intereant, quæ postea elaboratiore stilo posteritati commendentur. Quapropter non species Historiæ, sed imperfecta Historia, at veluti eius tantum materies habenda est. Vitas ab Historijs differre, & esse earum speciem quandam omnes arbitrantur, huius opinionis autorem existimo fuisse Plutarcum, nam is in principio vitæ M. Alexandri ait se breuiter bella, consilia, pugnas attingere, quod scribendi Historias onus non susceperit sed vitas: His autem, quem finem statuat ex illius verbis coniicitur eodē loco, inquit enim*, postquam regnum assumpsit, ea quæ fecerit breui oratione percurram, nam ex his facilè illius mores cognscentur, quæ clarius interdum exprimuntur dicto vno, quam magnis pra lijs, aut clarioribus in pace facinoribus. *Ad patefaciendos itaq; hominum mores, & habitus vitas esse describendas opinatur; mores autem, vt ipse innuit principia videntur actionum priuatarum, quare finis vitarum nihil aliud videtur, quam priuata prudentia: id si concedamus speciem eas*

De Vitis

historiæ

historiæ faciemus,& verum erit ab Historijs, quæ ciuiles actiones, ac bella describunt, specie differre;non tamen ab Historia, quæ genus est: propterea absurdè dicit se non Historiam lucubrare, sed vitas. Secus tamen multo de ijs sentiendum est, ac vel Plutarcus fecerit, vel cæteri omnes post illum: dico enim sic, Vita est actio fluens ab anima, propterea omnes, quas animatum corpus qua tale, edit operationes, opera vitæ dicuntur. Homo trium animarum vitam habet vegetatiuæ, sensitiuæ, rationalis, siue illæ distinctæ sint numero in eodem, siue ratione tantum, id enim quærendum in contemplatiua philosophia:humana tamen Vita vocatur,quæ ab anima rationali est, hæc autem duplex contemplatiua, & actiua, diximus autem Historiam esse narrationem tantum actiuarum operationum propterea qui Vitam describit, si ea,quæ gesta sint contemplando commemoret Historicus non est. Non minus autem viuit, actionibusq; vitæ fungitur, qui Rempublicam moderatur,vel bello prosequitur Hostes, vel familiæ præest, quam priuatus; immo nobilius viuit,cum publicæ actiones longè sint priuatis præstantiores: quapropter qui Vitam scribit alicuius non minus actiones illius,si quæ sunt,publicas,quam priuatas debet posteritati commendare; & falsum est quod vulgo iactatur;Vitas esse narrationes rerum tantum priuatarum, cum Vita omnes complectatur actiones, imò sint illæmet, quæ fiunt ab anima. Videtur autē hæc narratio, & simplex esse posse species Historiæ,& mixta, simplex quidem, si priuati viri Vita scribatur, mixta verò si publicæ personæ res gestas domi, aut foris exponat. Illarum autem ea videtur vtilitas, vt vniuersæ prudentiæ exemplum exhibeant, simplices enim Historiæ species vt Ciuilis, aut Militaris vnicæ tantum prudentiæ speciei exempla proponunt, complexæ autem, vel mixtæ plures, pro qualitate rerum narratarum: Idem sentiendum de ijs Historijs, quæ vnius Reipublicæ res omnes gestas commemorant, vt Liuij, & quamplurimum posteriorum: sunt enim & hæ Vitæ quædam non viri vnius,sed

F 2 Ciui-

Ciuitatis, cuius incunabula, & adolescentiam, & virilitatem, ac forte senectutem, & sæpenumero interitum memoriæ tradunt.

De Historia sacra, de Vniuersali, & particulari, & de Chiasmo. Cap. XIII.

NVnc dicamus aliquid de Sacra Historia, videtur enim nonnullis oportere esse speciem quoq; Historiæ, quæ res ad Religionem pertinentes describat, cuius finis erit religio. Ego autem in contemplatiua philosophia declarabo quomodo Prudentia distet à Religione, & qua ratione vtraq; sit pars sapientiæ; nunc autem prudentiam volui religionem complecti, ne subtilius alieno loco distinctio fieret, & quoniam neq; priuatus est verè prudens, qui mores suos non religiosè componat: neq; qui præest familiæ, si Religione vxorem, liberos, famulosq; non imbuat: neq; vir militaris, qui in officio Religionis milites non contineat: multo autem minus Politicus cuius in Ciuitate prima, ac præcipua cura non sit de religione, cũ eius actus principatum teneant inter actiones humanas, ita vt ad cultum Religionis, tanquam in verum mortalium finem, omnes nostræ operationes, & in vita ciuili, & extra vitam ciuilem dirigendæ sint; Cum inquam, nullus sit verè prudens, qui ante omnia ob oculos religionem non habeat; nolui subtiliter hic illa distinguere: & cum finem Historiæ esse dixerim doctrinam Prudentiæ, Religionem quoq; intellectam volo: atq; ideo reprehendendi vehementer illi videntur Historici, qui mores, actionesvè priuatas alicuius describentes, quę pertinent ad Religionem prętermittunt; quod vt plurimum Plutarcus facit, nec illo ea in re diligentior est Suetonius, vt ignobiliores omittam: multo autem magis delinquunt, qui instituta Reipublicę literis commendantes, quę spectant ad religionem subticuerunt: Si quis autem roget, quid sentiendum sit de illis narrationibus, quę facta

Reprehẽdũtur Historici qui res ad religionẽ pertinentes prætermittunt.

cta Dei continent, vt principium librorum Moysis; huic respondendum est res gestas illas non proponi ad imitandum, quis enim mundum creet, & alia admirabilia, quę Deus fecit ęmuletur? nec additur ratio similia illis efficiendis, neq; ob eam rem traditę sunt hominum memorię, nam tantus vir sancto afflatus spiritu; vanum, atq; irritum laborem suscepisset: At doctrina, ratioq; agendorum est finis Historię, non igitur vocari possunt Historię Ciuiles; illis tamen vtiliores sunt, nam docemur ijs; qua capaces sumus; quid sit Deus, quę, quantaq; nobis pręstiterit, quantumq; illi debeamus; quibus ad numen eius venerandum, colendumq; animus exardescit. Qui autem arbitrantur aliam esse speciem Historię vniuersalem à particulari manifestum ex dictis quanto in errore versentur: fortè differunt quod vna interdum simplex est, altera mixta, verum inter illas esse specificam differentiam, minime verum est, quod etiam suo loco melius ostendetur. Paulo propius ad veritatem accesserunt, qui specie diuersas eas esse crediderunt, quę de Rege, & quę de statu populari, vel optimatum sit, nam verè horum omnium distincta est prudentia: argumento sunt leges, quę cùm instrumenta sint politicę administrationis, diuersę feruntur pro varietate rerum publicarum, vel omnes, vel quę proprię sunt cuiusq; status: propterea cùm varię sint species, variæ quoq; sunt illarum prudentię quo fit varias quoq; esse Historiarum species, quę earum facta recensent, dumodo tamen res describant, quibus illæ differunt; nam si actiones bellicas narrent quibus non dissident, Historiæ minimè specie erunt differentes; aquè enim in Principatu vnius, & multorum rerum militarium finis est Victoria; nihilq; obstat, quominus ratio illam adipiscendi, eadem sit in vtroq;: quod si leges, atq; instituta contineant, tunc verè erũt specie diuersę Historię. Sunt autem hæ omnes historiæ sub illa, quam ciuilem appellauimus, quare hi vel statuunt falsas species, si omnia credant differre, quæ de vno principatu sunt; ab ijs, quæ de alio narrantur;

De sacrę Historię.

Quomodo vniuersalis Historia differat a particulari.

rantur; vel si quæ verè differunt sumant, sub vna ex ijs, quas ipsi attulimus comprehenditur. Nunc de Chiasmo, sunt enim qui noua quadam methodo vsi sunt, non modo ad inuestigandas Historiæ species, sed etiam inter has, & Poesim aperiendam differentiam. Genus, inquiunt Historiæ, & Poesis est Narratio; hæc autem quatuplex, nam vel vnam rem tradit de vno, vel vnam de multis, vel multa de vno, vel multa de multis. Vnam quæ narrat rem vnius, Poesis est: Vnam verò multorum Historia; multa vnius Vita; vt Plutarcus scripsit; multa multorum Sermones, vt ea quæ Hærodotus. Horum multiplicem errorem breuiter detegamus. Primum dico oportere eos ostendere, quæ sit inter narrationem, & imitationem differentia; nam si nullam esse asserant, fortè falluntur, & fidem facilè non inuenient, sin verò aliquam; peripateticis respondere debent, qui Poesis genus faciunt imitationem. Præterea quis vnquam Sapiens rerum non essentialiter quantarum, quantitatem faciat intrinsecam differentiam? Hac enim ratione tres homines essentialiter, & specifice different à quatuor, cum non eadem sit horum numerorum species, propterea vanum est dicere; Vnam rem narratam vnius, facere Poesim. Multas verò vnius Vitas; & Multas multorum Sermones, & vnam multorum Historiam: accidit enim narrationibus multitudo rerum vel Agentium. Præterea si quis narret pugnam, quam cum Heluetijs Cæsar in Gallia decertauit, vnius viri rem vnam, siue actionem narrabit; Nam si propterea quod multos habuit milites, & cum pluribus hostibus arma contulit, nolint eam esse vel vnam, vel non vnius: nullam rem gestam Poesim constituentem rationabiliter inuenient. Lucanus quidem Poeta bellum farsalicum describit. Statius Thebarum oppugnationem, vt taceam Achilleidem, Silius bellnm Punicum: dicam de ijs, qui sunt in prima classe; Virgilius aduentum Aeneæ in Italiam canit, & pugnas cum Turno, Latinoq; Rege; quas qui inter Episodia censet fabulam Aeneidarum ignorat: Iram Achillis

De Chiasmo.

Arist. lib. Partis Poet.

cantat

cantat Homerus, non quidem affectum irascibilis facultatis, sed quæ gessit illius impulsu; at quis rem vnam Aeneam, Achillemvè egisse dicat? Falsum est igitur Poemata vnius Agentis rem vnicam, vt isti intelligunt narrare. Sermones autem prædicti autores speciem Historiæ appellare nequeunt, cum enim dicant eorum finem esse voluptatem; proptereaq; multa affingit differentes eos fine; & essentialibus medijs ab Historia faciūt; quod si narrationes omnes multarum rerum de multis Sermones appellant, vt vi diuisionis coguntur, quam inierunt; non modo Herodotus, sed Polibius & Diodorus, & Iustinus, siue Trogus & omnes, qui totius orbis facta describunt, sermones composuisse dicendi sunt: quin & Tucidides ipse, qui multorum, videlicet Athenensium, Lacedemoniorum, atq; omnium ferè Græcorum; & multa, bellum scilicet non modò Peloponnesiacum, sed etiam Syracusanum scribit. Re simili facilius fallacia retegetur. Manifestum est Pictores, & actionem vnam vnius effingere, atq; imitari; Scæuolam scilicet manum altaribus admouentem, & vnam multorum, hoc est bellum Punicum, siue sociale, & multas multorum, ut diuersos Sabinarum raptus, & bella Gallica, & Ciuilia C. Cæsaris: Hæc inquam omnia lineis, atq; coloribus posse obici oculis arte Pictorum nullus ignorat; at has imagines specie distinctas appellare vaniloqui est; Non igitur diuisionem sapienter, ac ex arte instituerunt; nec species Historiæ potuerunt hac Methodo reperire, hoc autem accidit illis propter ignorantiam Artis diuisiuæ, qua inter mortales nulla reperietur difficilior.

Cur sæpius narrentur Actiones Publicæ, quam Priuatæ. Cap. XIV.

CAeterum non temere dubitabit aliquis, cum quatuor sint species Historiæ, cur tamen omnes ferè Historicorum labor in publicis actionibus versetur. Voco autem hic priuatas

actiones mores, & instituta priuatæ Vitæ & familiæ administrationem; publicas voco Rerump. moderationem, & bella. Sic dicamus. Quoniam beata Vita ciuilis non nisi actione recta continetur, hæc autem oritur ab habitu prudentiæ, vult Politicus, qua potest, hunc habitum omnibus adesse Ciuibus vt sciant, velintq; suum obire munus, & ad beatitudinem recta contendere. Propterea cum Historia plurimum valeat ad illius generationem, Vir ciuilis statuit esse in Ciuitate, qui res gestas describant, earumq; lectionem non modo permittit, sed magnopere commendat: intelligit enim eum, qui priuatus degit, nulliusq; habet curam præterquam de se ipso, Prudentia indigere ad obeundas operationes erga se ipsum, & erga alios Ciues, vt aptus sit ad ciuilem societatem. Patrem verò familiæ ad beatè, fœliciterq; continendam in domestica societate familiam: Eum, qui Reipublicæ præest ad se præstandum Ciuibus optimum Ducem ad beatitudinem; Illum deniq;, qui Militarē Artem exercet, ad Victoriam sibi de Hostibus comparandam. Hic est igitur Prudentiæ vsus, cui accepta cum deferatur vniuersa Ciuilis fœlicitas iure omnibus habetur necessaria: Verum inter Ciues quidam alieno subduntur imperio, quidam alijs imperitant: qui sunt in Principatu, & à nullo habent operandi præscriptam cum necessitate rationem, eos esse maximè prudentia præditos oportet; Si modo rectè sint operaturi. At verò ijs, qui aliorum imperata facere coguntur, non videtur alia Prudentia necessaria, præter illam, qua possint Imperātibus obsequi laudabiliter. Igitur priuatorum actiones, quę ciuibus officiunt, lege prohibentur; quæ verò necessariæ sunt ad societatem ciuilem tuendam, conseruādamq; lege imperantur: in quarum neutro genere priuatis opus est Prudentia, nam quid agere oporteat lex ipsa præscribit, superuacua igitur ne sit Historia huiusce, actiones prætermittit. Aliud autem priuatarum actionum genus est, quod lege non diffinitur, sed potest quisquis eas vel facere, vel vt libuerit prætermittere, pro-

pterea in ijs non est Historiæ labor superfluus; sunt autem hæ, quæ ad beneficentiã pertinent, non enim actus ij lege sanciuntur, cũ ex obligatione legitima beneficia minime conferantur: & præterea quæ vel agenti, vel alicui ex ciuibus leuiter nocet, iure Ciuili non prohibentur, nam de minimis dedecet legem esse sollicitam. Has igitur actiones Historia suscipit, vt earum Ciuibus rectam rationem ostendat: quoniam verò leues sunt, si conferantur cum publicis, quibus beatitudo Ciuium continetur; illarumq; disciplina non tam ardua est, quin facilè à moralibus philosophis addisci possit; propterea non ita sæpe ab Historicis narrantur, vt publicæ, quæ plerumq; liberæ sunt, vtpute Imperantiũ, & Ciuili viro pernecessariæ, & difficiles propter earum implicatam, obscuramq; rationem: Ex his intelligitur ad quorum præcipue vtilitatem instituta sit Historia: nam si eius vulgata materia sunt publicæ actiones, quarum narrationem sequitur publica prudentia, quæ publicas personas decet, manifestum est in vsum præcipue Rerump. moderatorum, atq; eorum qui res bellicas administrant Historias esse conscriptas, vt alio loco superius diximus.

Cur sæpius narrentur actiones Militares, quam Ciuiles. Cap. XV.

QVod si quis quærat cur sæpius Actiones Militares narrentur, quam Ciuiles, rem scitu dignam in quæstionem vocet, quam hic considerare oportet. Nolo autem inter has ferre sententiam, quæ sint nobiliores, atq; præstantiores; vtræq; enim suos habent Patronos, & omnes sunt Ciuitati pernecessariæ, nam neq; sine ciuili moderatione prudenti vlla Ciuitas diù stare potest; neq; in tanta mortalium rabie, qua ruunt in mutuam perniciem; diù valet esse libera, pacemq; tueri sine Arte Militari. Non igitur sæpius Bella narrantur in Historiis quod vel nobiliora sint, vel Ciuitati vtiliora, vel etiam quod

minus obstringantur legibus, qui ijs præficiuntur, quam qui Domi Principatum obtinent; sed huius rei vera causa est maior militarium operationum difficultas. Nam qui Rempublicam administrat pacis tempore, Ciuibus imperat, eosq; ità moderatur, vt illis expedire videtur ad beatitudinem consequendam: propterea ciuilis actionis subiectum Ciues sunt, qui Principi ad peragendum opus ex sua natura opitulantur, cum id illis maxime vtile sit: Instrumenta præcipua sunt magistratus, leges, pecunia: Pecuniam ipsi Ciues sufficiunt tributis, ac vectigalibus; leges quia ciuili societati videntur conducibiles libenter accipiunt: Magistratus, Iuri, atq; Imperio subduntur: Sors, fortunauè parum se his rebus admiscent, quæ consilio, & Prudentia peraguntur; propterea si qua certa est in rebus humanis agendis recta ratio, in ijs non minimum esse potest. At verò militarium actionum longè alia ratio est; subiectum enim illarum sunt Hostes, instrumenta partim animata partim inane, animata quidem Equi, Milites, inanima verò arma, pecunia, multaq; alia. Primum igitur Hostes non ij sunt, qui huius actionis finem, quæ est Victoria libenter suscipiant, sed pro viribus contra nituntur, & quidem Ratione subiecti multarum artium fines difficilè obtineri videmus; nam & Medicus ægre male valentem interdum curat, quod subiectum sanandum operationi Artis medicæ obsistat, & Orator, spe sua sepè fallitur, propterea quod pessime affectus est eorum animus, quibus facienda sit persuasio. Multo tamen maior ratione subiecti difficultas in actione militari reperitur: nam quantum agens ipse finem assequi contendit, tanto, ac fortè multò magis vim adhibet subiectum non modo ad impediendum finem, sed ad inducendum contrarium in ipsum agentem. Instrumenta quoq; non rarò comendabilem actionem impediunt, loquar tantum de militibus, ne in aliena re diutius immorer. Itaq; milites, vel Artem militarem ignorant; quod omnibus Tyronibus contingit, vel exiguo numero, aut imbecillitate

Cur militaria difficiliora sunt quã ciuilia.

tate corporis, aliauè huiusmodi causa contra hostes pugnare nō possunt vel pugnam detestant, quod Iulio Cæsari penè accidit in bello contra Arcouistum, multo autem magis Lucullo contra Mitridatem: vel vincere nolunt, vt Cæsonis Fabij apud Liuium: vel etiam vinci volunt, vt apud eundem Liuium constat de Appij Claudij militibus; vt infinita propemodum alia omittantur, quæ rectam operationem militarem impediunt; quorum magnam partem obijcit ipsa fortuna, quæ vt maximus Imperatorum Cæsar testatus est, multum cũ in omnibus rebus, tũ in re militari potest. *Quapropter in actione tàm ciuibus necessaria cum tanta sit rectè agendi difficultas; vt hac quantum fieri potest consilio, & Prudentia superetur; merito Historia pluribus in ea exemplis contendit rectam agēdi rationem ostendere: Nam Historiæ finis, diligentius quærendus est, vbi magis eius vsus videtur necessarius; est autē magis necessarius in maiore agendarum rerum difficultate, atq; rectarum operationum incertitudine; iure igitur sæpius actiones militares narrantur, quam ciuiles; Quæ duo actionum genera cum præcipua sint Historiæ materia, non absurdè me facturum existimo, si horum conscribendorum præcepta potissimum ostendam, alijs duobus breuitatis causa prætermissis, cum præsertim ex ijs, quæ dicentur eorum explicandorum ratio intelligi facillime possit.*

Lib. 1. de bel. Gal.

Plut. in Vit.

De Electione Actionum narrandarnm. Cap. XVI.

Haec sunt, quæ de Historia cognoscenda videbantur, antequam præcepta traderentur: nunc tractationis ordo postulat, vt ex ijs rectè eam scribendi rationem deducamus: nam tùm demum non frustra ea esse à nobis tàm diligenti labore perquisita intelligetur, & artem hanc non temere tradidisse videbimur, si horum virtute principiorum omnia, quæ

nobis præcipienda manent demonstrauerimus. Primum autem scripturum Historiam scire oportet, quas eligere debeat actiones. Propterea id est priore loco animaduertendum, vt non simpliciter instituamus Historicum, sed qualem esse in optimo Ciuitatis statu decet; qualemuè esse debet ad eum finem consequendum, ob quem Historiam Politicus in Ciuitate permittit; Sic itaq; dicendum: finis Historiæ Prudentia est; hanc duplicem statuimus, & quæ actionum est moraliter bonarum, & quæ indifferentium. Optima quidem Prudentia est cognitio obtinendi laudabiliter laudabilem finem, proxima illi, quæ finem non turpem, non turpiter: Hæc bonitatem in actibus naturalem postulat prauitate morali tamen exclusa: illa verò bonitatem naturalem, & moralem: His habitibus duos in præsentia contrarios faciamus: primum, qui turpem sibi finem consequendum proponit scelestibus medijs; alterum qui finem minime turpem assequendi rationem non tenet. Primum vocemus Malitiam; opponitur enim Prudentiæ morali, quæ bonos facit habentes, alterum Imprudentiam appellemus: nam videntur imprudentes omnes ij dici, qui rem expetitam obtinēdi rationem ignorant. Cum igitur similibus actibus habitus fiant, manifestum est malitiæ actus, & Imprudentiæ non esse ab Historico suscipiendos; & quidem hoc verissimum est de actibus malitiæ quos turpes, ac fœdos esse constat: his enim non prudentia, quæ boni fiunt Ciues, sed turpitudo addiscitur. Solent autem vulgò ita dubitare: qui Principatus alicuius, vel orbis vniuersi Historiam scribunt, omnia eos narrare oportet, quæ contingunt: accidunt autem in cursu rerum humanarum non modo actiones commendabiles, sed plerumq;, & fortè sæpius flagitia, igitur hæc quoq; narranda sunt: His ita respondetur, non omnia quæ accidunt necesse est scribere, nam neq; omnia vtile est scire, & non minus quàm scientia, multarum rerum ignorantia est commendabilis; illarum nempe, quarum obest cognitio, veluti scelerum, hæc enim in qualibet bene instituta Republica tacen-

An sint oĩa narrâda quę côtingũt ac memoria tradêda in historia.

da sunt potius, atq; occultanda Ciuibus, quam posteritati mandanda, cum earum tantum debeat memoria vigere, quę prodesse ad Ciuilem beatitudinem queant. Nec aliam ob causam viri sapientissimi Poetas Rep. sua eiecerunt, nisi quia turpibus exemplis ciuium mentes inquinabant. At verò dicunt; etsi narratio docet quomodo sit patratum scelus, pessimi tamen euentus, vel turpis fama lectores ab imitatione deterent. Hoc falsum est; non enim semper flagitia, ac scelera debita pœna sequitur, ac licet sequatur eam tamen improbi omnes subterfugere se posse sperāt; nam quę tandē causa est cur tam multa quotidie cōtra leges fiant quę pœna sanciūtur, nisi spes subterfugij? quin multos, nec ipsa quidem certitudo supplicij deterret à fœditate; n. m. qui templum Dianę incendit pœnam non detrectauit, cum nec latere factum, nec nomen Autoris voluerit; Multo autem minus dedecore prohibentur: pauci enim mortalium nominationem magis diligunt, quam vitam; ob id ratò, qui metu mortis non abstinent à scelere, improsperę famæ suspicione abstrahuntur; propterea ijs turpium notitia facinorum exhibet peccandi cognitionem, ac forte cupiditatem, mala enim mens turpi exemplo ad scelera magis accenditur. Prẹterea magna scelera plerisq; non officere nomini, sed famam parere videntur, nosci enim est esse nobilem; & famæ celebrem esse, quęcumq; ea sit, claritatem afferre videtur: at qui scelera committunt, quo illa maiora sunt, eo magis innotescunt, & magis viget eorum memoria; non enim aliam ob causam impius ille religiosissimum (tunc temporis) Dianę templo ignem iniecit, quàm vt apud posteros clareret. Igitur nec pœnæ timor, nec dedecoris ab iniustitia, ac turpitudine ita mortales deterrere potest, vt ab Historico scelera tuto narrari queant, quibus non modo excitantur alieno exemplo, sed peragendi concupitam turpitudinem via monstratur: Potest autem quadam iniri ratio, qua & cuncta narrentur, & si quid roboris habeat pęnę timor, vel dedecoris, eius vtilitas percipiatur absq; eo, quod

peccandi

nobis præcipienda manent demonstrauerimus. Primùm autem scripturum Historiam scire oportet, quas eligere debeat actiones. Propterea id est priore loco animaduertendum, vt non simpliciter instituamus Historicum, sed qualem esse in optimo Ciuitatis statu decet; qualemuè esse debet ad eum finem consequendum, ob quem Historiam Politicus in Ciuitate permittit; Sic itaq; dicendum: finis Historiæ Prudentia est; hanc duplicem statuimus, & quæ actionum est moraliter bonarum, & quæ indifferentium. Optima quidem Prudentia est cognitio obtinendi laudabiliter laudabilem finem, proxima illi, quæ finem non turpem, non turpiter: Hæc bonitatem in actibus naturalem postulat prauitate morali tamen exclusa: illa verò bonitatem naturalem, & moralem: His habitibus duos in præsentia contrarios faciamus: primum, qui turpem sibi finem consequendum proponit scelestibus medijs; alterum qui finem minimè turpem assequendi rationem non tenet. Primum vocemus Malitiam; opponitur enim Prudentiæ morali, quæ bonos facit habentes, alterum Imprudentiam appellemus: nam videntur imprudentes omnes ij dici, qui rem expetitam obtinēdi rationem ignorant. Cum igitur similibus actibus habitus fiant, manifestum est malitiæ actus, & Imprudentiæ non esse ab Historico suscipiendos; & quidem hoc verissimum est de actibus malitiæ quos turpes, ac fœdos esse constat: his enim non prudentia, qua boni fiunt Ciues, sed turpitudo addiscitur. Solent autem vulgò ita dubitare: qui Principatus alicuius, vel orbis vniuersi Historiam scribunt, omnia eis narrare oportet, quæ contingunt: accidunt autem in cursu rerum humanarum non modo actiones commendabiles, sed plerumq;, & fortè sæpius flagitia, igitur hæc quoq; narranda sunt: His ita respondetur, non omnia quæ accidunt necesse est scribere, nam neq; omnia vtile est scire, & non minus quàm scientia, multarum rerum ignorantia est commendabilis; illarum nempe, quarum obest cognitio, veluti scelerum, hæc enim in qualibet bene instituta Republica tacenda

An sint oia narrāda quę cōtingūt ac memoria tradē da in historia.

da sunt potius, atq; occultanda Ciuibus, quam posteritati mandanda, cum earum tantum debeat memoria vigere, quę prodesse ad Ciuilem beatitudinem queant. Nec aliam ob causam viri sapientissimi Poetas Rep. sua eiecerunt, nisi quia turpibus exemplis ciuium mentes inquinabant. At verò dicunt; etsi narratio docet quomodo sit patratum scelus, pessimi tamen euentus, vel turpis fama lectores ab imitatione deterent. Hoc falsum est; non enim semper flagitia, ac scelera debita pœna sequitur, ac licet sequatur eam tamen improbi omnes subterfugere se posse sperãt; nam quę tandẽ causa est cur tam multa quotidie cõtra leges fiant quę pœna sanciũtur, nisi spes subterfugij? quin multos, nec ipsa quidem certitudo supplicij deterret à fœditate; nam qui templum Dianę incendit pœnam non detrectauit, cum nec latere factum, nec nomen Autoris voluerit; Multo autem minus dedecore prohibentur: pauci enim mortalium nominationem magis diligunt, quam vitam; ob id ratio, qui metu mortis non abstinent à scelere, improsperę famæ suspicione abstrahuntur; propterea ijs turpium notitia facinorum exhibet peccandi cognitionem, ac fortè cupiditatem, mala enim mens turpi exemplo ad scelera magis accenditur. Preterea magna scelera plerisq; non officere nomini, sed famam parere videntur, nosci enim est esse nobilem; & fama celebrem esse, quęcumq; ea sit, claritatem afferre videtur: at qui scelera committunt, quo illa maiora sunt, eo magis inotescunt, & magis viget eorum memoria; non enim aliam ob causam impius ille religiosissimum (tunc temporis) Dianę templo ignem iniecit, quam vt apud posteros clareret. Igitur nec pœnæ timor, nec dedecoris ab iniustitia, ac turpitudine ita mortales deterrere potest, vt ab Historico scelera tuto narrari queant, quibus non modo excitantur alieno exemplo, sed peragendi concupitam turpitudinem via monstratur: Potest autem quædam iniri ratio, qua & cuncta narrentur, & si quid roboris habeat pœnę timor, vel dedecoris, eius vtilitas percipiatur absq; eo, quod

peccandi

peccandi cognitio tradatur. Nam si quis facta omnia Principis alicuius, vel Reipublicæ, vel etiam orbis vniuersalem scribat Historiam paucis quid actum, & à quo, & quis fuerit actionis euentus narrare poterit; consilia sceleris, instrumenta, modumq; prætermittere; qua ratione illi sit obuiam itum, si fortè itum sit, ostendere; ita tamen, vt nihil de ratione sceleris patrati innotescat, id enim perniciosius esset, quam inutile non describi scelus. Quoniam autem, qui actionem vnam eligit ad narrandum, si vt Historicum decet, eam narrare velit, rationem omnem exponere debet: propterea huic omnino scelectæ actiones sunt prætermittendæ: qui autem vniuersales Historias describit, prædictum modum poterit adhibere. Verum Publicæ vtilitati magis consulet, si abstineat; nam & si ratio operandi non ostenditur, turpe tamen exemplum proponitur; quod & si mentem non instruit affectum tamen excitare potest, præsertim cum quod exemplo fit, vt ille dixit, iure etiam fieri existimetur. Imprudentes autem actiones, quãquam habitui Prudentiæ dissimiles sunt, non tamen ab Historia videntur esse reiciendæ, tum quia cõplurimi nobiliores Historici huiuscemodi actiones narrant, tum etiam quia in ea sententia Plutarcum non pœnitendi iudicij autorem fuisse constat in Demetrio; huius autem ratio perscrutanda est. Prudentem non esse qui Cautus non sit, manifestum est: vt autem Prudens dicit ita eße faciendum, ita Cautus, ab hoc esse cauendũ. Imprudentes itaq; actiones experientiam pariunt eius, quod malè sit factum, ex qua experientia Cautio deducitur, quæ est etiam ipsa conclusio quędam; vt supra de Prudentia diximus; nec est deducendi ratio diuersa; nam sicut dicitur, hæc fuit in præteritis actionibus recta ratio, ergo hæc eadem est in ijs, quæ similes sunt; ità dicitur, sic semper malè actum est, vel sic egisse inutile, ac perniciosum semper fuit, ergo ab hac agendi ratione cauere oportet. Ex hac autem propositione, quæ Cautio dicitur potest intendum Prudentię conclusio deduci, nam si contrariorum contraria sunt

con-

consequentia, videtur contrariarum actionum iure contrarios euentus esse debere; si igitur sumatur actio contraria illius quæ finem suum obtinere non potuit, fortasse illa optima videatur; contrariam tamen sumere non in omnibus perspicuum; tam multa enim sunt actionum circumstātiæ, ob quarum defectum praua, & imprudentes euadunt, vt difficile sit illud agnoscere; propterea etsi quid malè actum sit cognoscitur, non tamen quid vtile factum fuisse facilè intelligitur; nec enim perinde, *inquit Tacitus*, deiudicari potest quid optimum factu fuerit, quam pessimum fuisse, quod factum est, *huius autem illa causa videtur, quod latet interdum circumstantiæ defectus, & plerumq; non nisi ab euentu actio mala deiudicatur; quod si exactè circumstantiarum defectus agnosceretur, agendi recta ratio innotesceret; Huius signum est, quod ea, quæ sæpe fiunt rectè demum peraguntur, nam actionis, vel circumstantiarum error iteratione retegitur. Actus itaq; imprudentes in Historia narrati Cautionem efficiunt. Prudentia vero prudentibus gignitur. Quapropter Historico primum delegendi sunt Actus prudentes: Sunt autem illi prudentes, quos recta ratio moderatur, id autem maxime euentus ostendit; nam quicumq; finem assequuntur, idq; non casu, aut fortuna; in ijs adhibitam esse rectam rationem arbitramur; quod si fortuna, casuvè plus valuerint, quam consilium, itaut eorum iniuria sit agenti præcisus accessus ad finem, sua laude actus fraudandi non sunt, sed prudentes nihilominus habendi: quoniam vero sæpius fortuna Prudentiam sequitur, nam vt in veteri prouerbio est* fortunam sibi quisque facit: *non temere Prudentes appellandi sunt, qui à fine fortunæ culpa decidisse videntur. Actionum autem prudentum alium rursus habere delectum oportet; non enim omnes æque Historia digna, nam Prudentia perfectissima quærenda est, vt perfectissimum finem quærunt omnes artes. Perfectio autem Prudentiæ duplex, vel quod certa sit quantum rerum humanarum varietas,*

tas,

tas, & incertitudo patitur; vel quod rerum maximarum: parua enim, & ignobilia facilè est intelligere quo sint modo peragenda, & si quis error contingat, haud magna ex eo fit iactura. Propterea nobiliores actiones narrandæ sunt, vt Historiæ vtilitas maior sit, atq; præclarior. Habentur autem nobiles (quoniam de publicis præcipue loquimur,) tum quæ ad religionem pertinent, tum quæ magnum Ciuibus commodum peperere, siue militia cum magna, ac nobilis Victoria de hostibus potentissimis, Ciuiumq; libertati infestis reportata est, siue domi cum grauis, & perniciosa seditio, siue coniuratio fuit extincta, in qua tamen cauendum, vt supra monuimus ne plus Ciuitati officiamus, quam prosimus; His æquè nobiles, ac forte multo etiam magis, cum vtilissimæ latæ sunt leges, statusq; Ciuitatis ad publicam, priuatamq; commoditatem institutus; atq; firmamatus; quæ omnes sunt Posterorum memoria dignæ actiones. Inter verò æquè nobiles illæ videntur commendabiliores, quæ maioribus fuerunt difficultatibus oppugnatæ, eo quod maximam sæpius in ijs adhibitam fuisse prudentiam necesse est, quo fit, vt plures sint in illis prudentiæ actus; habitus autem ex pluribus actibus certiores, constantioresq; fiunt.

Nobiliores actiones, ac historia dignæ quæ sint.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

P*Ræcepta quæ hoc opere traduntur, & firmari melius, & intelligi plenius posse credidimus, si exempla eorum adiungerentur, quæ ab Historicis antiquis, recentioribusq; magis insignibus vel bene, & laudabiliter, vel male, ac imperitè descripta videntur: ex hoc etiam quæ sint ratione Historici examinandi facilè cognoscetur; & poterit ijs insistens vestigijs vnusquisq; diligentiorem eorum inire censuram, nos enim hęc tantum breuiter addidimus, vt Ars, eiusq; præcepta; quemadmodum diximus; faciliùs percipientur, firmiusq; roborentur: Igitur si vera sunt, quæ superiori capite diximus de electione;*

Catilinæ coniuratio à Salustio commendata literis, sub censuram merito veniet, nam in ea sceleſtiſſimi Ciuis nefarium auſum deſcribitur: nec ſatis cauſam eius tuentur qui huiuſmodi actionem eum ſuſcepiſſe dicunt, vt principia, & cauſas oſtenderet, quibus in Rep. ciues ſeditioſi, ac rerum nouarum cupidi fiat; nam hæc optima quidem, & commendabilis doctrina eſſet, ſi quæ paulo ante diximus abſurda vitaret; non enim magis oſtendit, qua de cauſa coniurationes in Ciuitate oriantur, quam quo pacto ineantur, vireſq; ad opprimendam patriæ libertatem comparentur. Propterea vel falluntur ipſi, vel alios fallere volunt; qui non coniurandi rationem, ſed coniurationes diſſoluendi modum oſtendi ea narratione contendunt: quorſum enim illa pertinent? Catilina; id quod factu facillimum erat; omnium flagitioſorum circum ſe tanquã ſtipatas cateruas habebat; nam quicumq; imprudens, adulter, ganeo, manu, ventre, pene, bona patria lacerauerat, quiq; alienum æs grande conflauerat, quo flagitium aut facinus redimeret; præterea omnes vndiq; parricidæ, ſacrilegi, conuicti iudicijs, aut pro factis iudicium timentes; ad hoc, quos manus, atq; lingua periurio, aut ſanguine ciuili alebat; poſtremò omnes, quos flagitium, ægeſtas, conſcius animus exagitabat; hi Catilinæ proximi, familiareſq; erant: quod ſi quis etiam à culpa vacuus in amicitiam eius inciderat, quotidiano vſu, atq; illecebris, facilè par, ſimiliſq; cæteris efficiebatur: ſed maximè adoleſcentium familiaritates appetebat, eorum animì molles, & ætate fluxi haud difficile dolis capiebantur; nam vt cuiuſq; ſtudium ex ætate ſflagrabat, alijs ſcorta præbere, alijs canes, atq; equos mercari; poſtremo neq; ſumptui, neq; modeſtiæ ſuæ parcere, dum illos obnoxios, fidoſq; ſibi faceret: *& alio loco*: ſed iuuentutem, quam vt ſupra diximus, illexerat multis modis mala facinora edocebat; ex illis te-

Coniuratio Catilinæ à Salustio deſcripta examinatur.

stes, signatusq; falsos commodare, fidem, fortunas, pericula vilia habere, post vbi eorum famam, atq; pudorem attriuerat, maiora alia imperabat: si causa peccādi in præsens minus suppetebat, nihilominus insontes circumuenire, iugulare; scilicet ne per otium turpescerent manus, aut animus; gratuito potius malus, atq; crudelis erat, *Quorsum hæc inquam? quarum pessima doctrina non magis ferenda est in Historia, quam qui ea vtuntur in ciuili societate. His tamen minime perspectis, vel animaduersis hanc eandem coniurationem M. Tullius Lucio Lucceio describendam in bella, vt ipse vocat epistola proponit; ac dum suę glorię, cuius desiderio flagrabat, æquo magis consulit, egregius Politicus quantum Resp. officeret haud satis intelligebat. Suetonius quoq; Tranquillus, qui Sellulas, spintres, aliaq; instrumenta, atq; irritamenta nefanda libidinis in Vita Tiberij tam curiosè perquirit, tamquam diligenter hominū memoriæ tradit, quemadmodum plura etiam fœdissima de Caligula, atq; Nerone, ab optima Rep. tamquam morum corruptor merito eijciendus videtur: nam siue pessimè viuas, siue illorum, qui turpiter vixerunt exempla proponas; parum id interest ad inflammandam improborum cupiditatem. Nō eximit se ab hac culpa Cor. Tacitus; qui tamen in cathedra sedet Politicorum huius temporis. Igitur pessime Historiæ suæ consuluit, dum narrandas elegit actiones Tiberij, quæ ad libertatem penitus opprimendam tendunt, & Caligulæ qui omnium crudelissimus, ac maxime impius fuit; & Neronis minime absimilis; & Claudij nullius ingenij aut politicæ virtutis hominis. Et verè, illa Historia nihil est aliud quam exemplum perditorum Principum, ac pessimorum ciuium; illorum enim tirannides continet, horum fœdos mores, erga Principum coniurationes, perditiones amicorum, dominorumq; ac breuiter omnium scelerum, exempla priuatorum hominum, & dominantium domi militiaq; complectitur; vt impias sententias, & dogmata omittamus,*

Suetoni[us] (margin, beside "cus quantum Resp.")
Tacitus. (margin, beside "Tacitus; qui tamen")

mus, de quibus infra suo loco dicetur; propterea mirum tam diu illud opus inter viros probos vixisse, tantoq; in pretio haberi nostra tempestate: nam cum pessima exempla proponat, de illis iudicia ferat, regulasq; ex eisdem ducere profiteatur, Magistrumq; rerum politicarum se gerere; non modo imprudens Historicus in eligendo, sed pessimus Politicus in docendo iure videtur. Qui verò ex humiliori turba Historicorum res gestas Commodi, Heliogabali, Caracallæ, horumq; similium Imperatorum scriptis commendarunt; non reprehensione, aut censura, sed flagris digni sunt, cum huiuscemodi pestes, atq; humani generis excrementa; grauissimis narrationibus, qualem Historiam esse decet, ausi sint inserere. Pari ratione Titus Liuius non magnopere cõmendabitur in exponenda coniuratione Baccanalium, cum fœda quadam commemoret, quorum abdere potius, quam proferre memoriam oportebat. Illud enim omnino tenendum est; non esse necessarium omnia quæ accidunt in Historia scribere, nam ea prudenter obliuioni traduntur, quorum cognitio perniciosa est moribus Ciuium; cum ad eorum honestam, commendabilemq; institutionem Historia reperta sit. At verò bellorum ciuilium descriptiones aliquam habere dubitationem videntur: turpe enim est patria membra diuelli, ac se inuicem trucidari, quæ sibi mutuo ad ciuilẽ beatitudinem opitulari deberent; inter hæc autem bella maiorem habent turpitudinem illa, quibus vnus ex ciuibus aduersus patriam insurgit, & contra eam arma impia ferre non dubitat, quam quibus vnus ciuitatis ordo de libertate, de honoribus, alijsq; huiusmodi rebus cum alio ordine disceptat: Verum causas, & principia horum accidẽtium cognoscere plurimum conducit rerum publicarum moderatoribus, & bella ipsa, armorumq; administratio maxime confert ad militarem prudentiam comparandam; cuius elaboratissimum exemplum habemus in Commentarijs Maximi Cæsaris; propterea commendanda potius, quam reprehendenda est eius lectio in libris de bello Ciuili; præser-

Liuius.

De bellis ciuilibus; vtrũ describẽda.

C. Cæsar

tim cum nefaria scelera, quæ in Coniuratione Catilinæ docentur non cõtineant; sed quo pacto Cæsar ad Victoriam cuncta disposuerit, magnasq; inimicorum suorũ vires militari virtute, non turpibus rationibus contuderit, ac fregerit, nobis ostendatur, quæ militari viro prodesse, nulloq; modo Reip. officere posse videntur: hac eadem ratione Appianum Alexandrinum de bellis ciuilibus scribentem tueri ab obtrectatorum reprehensione fortasse poterimus. At verò Cyri minoris expeditio tam operosè à Xenophõte descripta; Si modò Xenophon ille autor est, nam mihi sæpe dubium fecerunt ea verba, quæ ipsemet Xenophon in Historia de rebus Græcorum, inquit, Cyri scilicet expeditionem, & ea, quæ Græcis acciderunt, ex quo Asiam ingressi sunt, vsq; ad eorum reditum ad mare; descripta esse à Themistogone Syracusano; vnde suspicari possumus ab hoc autore descriptam Anabasim non à Xenophonte; tamen quisquis ille fuerit, certum est verè in ea Historia parricidium, & iniustum fratris, ac subditi contra suum fratrem, ac Pricipem armorum motum commemorari; rationemq; diligenter ostendi qua sibi vires comparauerit ad opprimendum eum, cui iuste parere debebat: Quapropter censuram omnino subterfugere minime potest. Verum hæc minimam partem eius operis occupant; primum scilicet tantummodo librum: vnde miror cur expeditio Historia illa fuerit appellata, nam reliqui sex ea quæ à decem millibus Græcorum in reditu gesta fuerunt complectuntur; quibus ferunt excitatum Alexandrum Macedonem ad Imperium Asiæ totius aggrediendum. E contrà verò commendabilis electio Iosephi in libris de antiquitate Iudæorum, res enim eorum gestas nobiles, ac memoria dignas commemorat; quibus apud cæteras gentes clarerent, nam hoc eum impulit adscribendum; miror autem (vt id silentio minime prætereamus) cur de Antiquitate, quisquis ille fuerit, opus illud inscripserit, nõ enim antiqua magis, quam recentia, & quæ suo tempore acciderunt, memoriæ prodit; nec laudaret quispiam, vt arbitror, T. Liuium,

App. Alexandr. — Xenoph. — Lib. 3. — Ioseph.

aut

aut Halicarnasseum, si suas Historias de antiquitate Romanorum inscripsissent; cum tamen; vt ille Iudæorum, ita isti Romanæ vrbis ortum, atq; incunabula tradant. Bellum verò Iudaicum, quod alio elaboratiore opere describit, magnum est, maximeq; memorabile, si modò narratio absit à suspicione falsitatis, cum Vespesiani, ac Titi benefactorum suorum facta commemoret. Verum ab ea vendicare illum videtur posteritatis opinio communis: Verax enim Historicus habetur, idq; vel ex eo conijcere facilè possumus, quod Iudæus patria, & religione præclarum tamen de Christo Domino testimonium reliquit; nam & Virum iustum eum appellat, & propter inuidiam à Iudæis traditum, & die tertia surrexisse à mortuis, suisq; Discipulis apparuisse testatur. Lib. 18. *Hærodotus quoq; materiam sumpsit Historia dignissimam, scribit enim bellum quod cum Barbaris, hoc est cum Persis Græci gesserunt: ob eamq; rem initio sui operis tanti motus causas se scripturum profitetur, ne memoria tantarum rerum, vt ipse dicit, obliuione intereat, & nisi tam latè vagasset, vberemq; ac pinguem Historiam fabulosis quoq; narrationibus efficere voluisset, multo verius Græcæ Historiæ pater appellaretur. Verùm dum famæ suæ narrationis non parcit, rerum quoq; verarum fidem labefactat. Tres tamen postremi libri à septimo scilicet ad nonum, quibus bellum cum Xerse gestum describitur, multam prudentiam tum ciuilem, tum militarem continent; qua & Politicus, & miles instrui maximè potest. Nobile quoq; bellum, est quod à Tucidide narratur inter duas scilicet potentissimas vrbes, ac potius Græciæ totius nam, vt ille inquit, cætera Grecia ad alterutrum accessit: in quo sanè preclara facinora, & prudentiam militarem maximè iuuantia contigerunt; nec absunt exempla ciuilis prudentiæ, quibus apprimè instructus lector discedat: & profectò qui res ob oculos ponat melius, ac ipse faciat, & Caius Cæsar nullum reperies; Cæsari tamen laus breuitatis tribuenda, Tucidides, secus ac Grammatici arbitrantur, qui breuem eum exi-*

Heredotus.

Tucidides.

existimant, Graecam facundiam ambitiose sectatus esse videtur. Titi Liuij quoq; commendabilis electio est quemadmodum & Dyonisij Alicarnassei, qui actiones vniuersas, ac veluti vitam Romanae Resp. narrant, cuius praeclara domi, militiaq; res gestae nobilissima prudentia exempla mortalibus exhibent. Polybius vero ingentia quidem profitetur, & specioso nomine rerum Romanarum lumen Historijs suis afferre conatur; verum quae prioribus praesertim libris de Graecis commemorat, quibusq; ad nauseam vsq;, longissimam insumit orationem; adeo leuia, humilia, inania sunt, vt satisfacere potius ciuium suorum gloriae voluisse, quam Historiae dignitatem intellexisse videatur: quam sanè censuram Franciscus Guicciardinus minime fugit; nam etsi res suo tempore in Italia gesta, quas ad scribendum sumpserat, multae dignitatis erant, praesertim bella Gallorum cum Regibus Neapolitanis, & cum Imperatore Carolo, quae tamen inter Florentinos, Pisanosq; pertinaciter contigerunt, adeo prolixe describit, vt interdum in re tam tenui operam triuisse magnum alioqui Historicum maxime pudeat; caeterum Polybius, ne hoc etiam silcamus; aliud in proemio, aliud in contextu operis profitetur, nam in praefatione ait velle se res gestas Pop. Rom. describere à bello secundo Punico; earumq; magnitudine suam Historiam commendat; Alibi autem dicit non vnius dumtaxat, aut alterius gentis Graecorum scilicet, vel Persarum, sed omnium totius orbis res gestas narrare; quod tamen minime facit; nam facta Germanorum ne summis quidem labijs attingit, quemadmodum nec etiam Persarum; Haec eadem de Paulo Iouio dici possunt. Quintus Curtius, Arrianusq; qui gesta Magni Alexandri describunt in electione Historica plurimum sibi consulerunt; nam verè magna, atq; adeo maxima, & prudentiae militaris plenissima delegerunt. Verum quanta sit eorum scriptis adhibenda fides haud sanè manifestum est, vetusta enim recensent, quorum notitiam qua ratione habuerint suspicamur magis, quam sciamus; eadem

Liuius. Dyonisius Halicarn. Polibius. Franciscus Guicciard. Paul. Io. Q. Curt.

diffi-

difficultas omnes illos vrget, qui à suis temporibus res gestas valde diuulsas narrare profitentur; non sapienti consilio, ob imbecillam fidem, quam sibi parant; quæ tamen vel præcarto præstanda est ijs, qui vt vnius principatus, ac Reip. facta omnia commemoret, ad sua vsq; tempora vetusta quoq; atq; ab recenti memoria disiuncta scriptis mandare coguntur, vt Liuius, & Halicarnaſseus initia Romanæ Vrbis: at verò qui actionem vnam, vel vnius Principis vitam narrare vult, illamq; longe supra ætatem suam deligit, sanè reprehensione non caret; ob eamq; rem Plutarcum accusare non veremur, cui Plutarc. *Appianum Alexandrinum adiungimus; nam ipse quoq; fidei suorum scriptorum, siue narrationum non satis consuluit, cum valde à memoria sua remotas res gestas commemorauerit; Hac autem in re laudandus maxime Saluſtius, nam bellum Iugurtinum, quod suo ferè tempore gestum est, vt de coniuratione Catilinæ taceam, describendum sumpsit; quemadmodum reliqua quoq; ab eo memoriæ mandata paulo supra suam ætatem acciderunt, nam alia præter Coniurationem, Iugurtinumq; bellum descripsit; In fragmentis enim* res, *inquit,* pop Rom. M Lepido, Q. Catulo Coſſ. ac deinde militiæ, & domi gestas composui, *& hæc fragmenta sex librorum sunt. Historiam quoq; C. Cæsaris eorum, quæ in Gallia gessit, quo pacto maximopere non commendemus? adeò enim ingentia facta complectitur; vt admirari ea facilius posteritas, quam æmulari potuerit: Ex his, quæ diximus, qua ratione sint cæterorum Historicorum scripta iudicanda in eo quod ad electionem rerum narrandarum pertinet, satis intelligi posse reor; non enim censura cunctos Historicos percurrere decreuimus, nam id immensi laboris, & exiguæ vtilitatis esset: propterea ne longius prouehatur oratio quam necesse sit, ad reliqua præcepta veniemus. Nolo hic tamen silentio præterire, Cæsarem Campanam, qui nuper Historiam belli Belgici edidit, commendabilissimo consilio eius belli narrationem suscepisse, nam id Historia dignissi-*

Saluſtius (margin, beside "Hac autem in re laudandus maxime Saluſtius")
C. Cæsaris. (margin, beside "Historiam quoq; C. Cæsaris")
Cæsar Campana. (margin, beside "Cæsarem Campanam")

gnissimum est, tùm quia motus maximos continet rebellium populorum non modò contra suum Principẽ, sed contra Deum, & veram religionẽ; tum verò etiam quia militaris artis tam multa & præclara exẽpla complectitur, vt nullum forte aliud ex his, quæ hucusq; contigerunt Nobilius videatur. Ipse verò Campana in eo describendo ità egregiè se gerit, vt in multis in Historiæ partibus celebriorum Historicorum laudem æmuletur. Verum hæc suis locis ostendentur.

De numero Actionum. Cap. XVII.

A*T verò vtrum vna tantũ actio narranda sit ab Historico, an plures nunc videre t oportet. Sic dicamus. Historiæ finis est Prudentia quà effictibilis, vel quà efficienda: Prudentia est habitus quidam; habitus fiunt frequentibus actibus; propterea multi actus videntur ad prudentiam comparandam neccessarij: cum enim agibilia magnam habeant contingentiam, atq; incertitudinem, ratio eorum constans, & certa, vt ipsorum natura fert, acquiri non potest vnica experiẽtia; nam quod Prudentia fit fortuitò interdum contingit: quare si quid bene aliquando fiat, non statim prudentiæ tribuendum; si autem sæpe benè idem eueniat, propterea quod semper eadem ratione effectum sit, non temere id, sed consultò accidisse videtur: quod si tanta sit circumstantiarum actionis cognitio, vt ea esse prudenter facta intelligatur, tunc vnico actu fortaſse fieri poterit Prudentia: illud autem inficiari non possumus rarò id euenire, & harum ipsarum actionum multò meliorem, efficacioremq; acquiri prudentiam si à pluribus sumatur actionibus; quam si ab vna tantum: melior enim, quæ certior: certitudo autem maxime ab experientia, à multis singularibus vel necessario, vel perfectius fit. Dubitare igitur non debemus facilius, & melius prudentiam fieri narratione multarum actio-*

num

num, quam vnius; decet autem Historicum ad optimam prudentiam niti, multas igitur actiones eum narrare oportet. Verum id habet aliquam dubitationem: nam etsi fatendum est ractione prædicta esse necessarium ei, qui velit ex Historia sibi comparare Prudentiam, non vnius rei narrationem legere, sed multarum; non tamen sequitur multas actiones Historicum debere narrare; nam ex vno tantum scriptore Prudentiam addiscere minime est necessarium. Propterea potest Historicus absq; reprehensione actionem vnicam scribere, si quis autem plures velit; an illi fas sit consideremus: enimuerò id nullam videtur habere dubitationem, nam quo plures describit, eò potest facilius Prudentiam efficere. Cur igitur affirmare veremur laudabilius esse Historicum plures actiones narrare, quam vnam? Ob illud fortasse, quod actionem aliquam Historia dignam, quemadmodum militares præcipue sunt, ac Ciuiles recte, atq; ex arte narrare, haud est ita facilè, vt omnes subire possint hoc onus commendabiliter. Illud autem, vt graue est in vna actione perscribenda, ita multò fit grauius in pluribus: quare plerumq; accidit Historicos succumbere: propterea etsi minime est necessarium Historicum vnam actionem suscipere, valde tamen id illi commodum videtur: quod si quis multas pro dignitate tradere hominum memoriæ queat, iure suo commendabilior euadet. Voco autem hîc vnam actionem, quæ ad vnum finem est, licet plures habeat partes, quæ actiones, & ipsæ per se videantur: Propterea bellum Punicum secundum vnica est actio, nam & si multa in Hyspania gesta sunt, multa in Italia, Sicilia, atq; Africa, non tamen hæ actiones multæ integræ, atq; perfectæ, sed vnius diuersæ partes, vnus enim erat omnium finis Victoria de Cartaginensibus, vel Romanis in bello ab Annibale illato. Qui autem vel à tempore, vel ab agente numerum accipiunt, falluntur, finis enim est veluti forma actionum; forma autem (vt subtiliores Methaphysici statuunt) dat esse non modò specificum, sed etiam numericum. Dicamus igi-

Quæ sit vna actio Historica.

tur numerum actionum Historico nullum esse ex necessitate præscriptum; commodius tamen sibi consulere, qui vnam tantum asumunt, præsertim si Ciuilis sit, aut Militaris; nec tanti ponderis est Polybij autoritas, vt nos compellat in contrariam sententiam discedere, & præcipue cum vana, ac falsæ sint illius rationes; dicit enim in præfatione operis; Qui per particularem Historiam satis intelligi posse arbitrantur vniuersalem, non minus à veritate deflectunt, quam si quis, cum animati, atq; formosi corporis separatas innicem partes consideret, putet se omnem eius animalis operationes, atq; ornatum intellexisse. Præterea paulum conferre potest particularem Historiam, sed plurimum vtilitatis hauritur ex vniuersali propter cōmixtionem, collationem, rerum similitudinem, differentiam. Ad primam igitur rationem dico verum esse ex particulari Historia non posse cognosci vniuersalem, nam quid in Græcia, quid in Aegypto, aut Syria gereretur dum Annibal in Italia bellum Romanos quateret ignotum est in particulari Historia; nec sanæ mentis est quisquam, qui ex coniuratione Catilinæ à Salustio descripta, cognoscere se posse speret quid contra Mitridatem in Asia Pompeius, quid contra Gallos Max. Cæsar ea tempestate molirentur: Si quis autem existimet esse munus Historiæ eiusdem temporis totius orbis, vel etiam Principatus vnius actiones omnes, tamquam vnica tabella proponere; decipitur, munusq; Historiæ, & finem egregiè ignorat; nec mirum si is in multa laberetur absurda narrādis actionibus, quemadmodum fecisse Polybium suis locis demonstrabitur. Secunda autem ratio vera videretur ijs, qui simplicem cognitionem rerum gestarum finem esse Historiæ, vel ab vnica tantum Historia petenda esse Prudentiam crederent.

Polyb.

De

De Historia Vniuersali. Cap. XVIII.

Potest itaq. Historicus plures actiones describere, verum quomodo plures esse debeant cognoscendum restat: nam Salustius quoq. & Appianus plures describunt, non tamen ea ratione, quam modo intelligimus: Hic enim plures eas esse dicimus, quæ quasi vnum corpus efficiunt, quod vulgo Vniuersalis Historia vocatur: Qui itaq. vniuersales Historias composuerunt, in duo genera partiuntur, nam alij vnius agentis omnes, vel multas actiones narrant: siue ille vnus Princeps sit, vt de Alexandro Curtius, & Arrianus, siue Respublica, vt de Romana Liuius. Alij multorum agentium multas actiones, vt qui orbis, vel ab initio, vel suorum temporum facta describunt, quemadmodum Trogus Pompeius, Diodorus Siculus, inter verò recentiores Blondus, Paulus Iouius, Tarcagnota, & plures alij. Videndum autem vtri istorum sint commendabiliores: quod igitur pertinet ad prudentiam, nulla ratio cogere videtur, vnius potius agentis actiones describere, quàm multorum nam dummodo bene, atq. ex arte narrentur, potest quisq. ex vtroque genere Historiæ finem, vtilitatemq. sibi comparare. Illæ tamen, quæ sunt multorum agentium, & quæ vnius temporis, vel plurimum, Orbis res gestas complectuntur; maius incommodum habere videntur, quam quæ vnius agentis; nam cum omnia narrare oporteat, quæ contigere: multa autem, ac propemodum infinita contingant Historica narratione minime digna; ea si literis tradantur, tuapis euadit, vel vilescit Historia; si minus, dissociantur, & quasi scinduntur tempora, dum ea silentio transiguntur, quæ euenere. Præterea legentis animus nimia rerum mole obruitur, & cum vnius populi rerum gestarum narratio sæpius abrumpenda sit, vt alterius interponatur; fieri non potest, quin molestia lectoris mens afficiatur, & quin

tur numerum actionum Historico nullum esse ex necessitate praescriptum; commodius tamen sibi consulere, qui vnam tantum assumunt, praesertim si Ciuilis sit, aut Militaris; nec tanti ponderis est Polybij autoritas, vt nos compellat in contrariam sententiam discedere, & praecipue cum vana, ac falsae sint illius rationes; dicit enim in praefatione operis; Qui per particularem Historiam satis intelligi posse arbitrantur vniuersalem, non minus à veritate deflectunt, quam si quis, cum animati, atq; formosi corporis separatas inuicem partes consideret, putet se omnem eius animalis operationes, atq; ornatum intellexisse. Praeterea paulum conferre potest particularem Historiam, sed plurimum vtilitatis hauritur ex vniuersali propter cōmixtionem, collationem, rerum similitudinem, differentiam. Ad primam igitur rationem dico verum esse ex particulari Historia non posse cognosci vniuersalem, nam quid in Graecia, quid in Aegypto, aut Syria gereretur dum Annibal in Italia bellum Romanos quateret ignotum est in particulari Historia; nec sanae mentis est quisquam, qui ex coniuratione Catilinae à Salustio descripta, cognoscere se posse speret quid contra Mitridatem in Asia Pompeius, quid contra Gallos Max. Caesar ea tempestate molirentur: Si quis autem existimet esse munus Historiae eiusdem temporis totius orbis, vel etiam Principatus vnius actiones omnes, tamquam vnica tabella proponere; decipitur, munusq; Historiae, & finem egregiè ignorat; nec mirum si is in multa laberetur absurda narrādis actionibus, quemadmodum fecisse Polybium suis locis demonstrabitur. Secunda autem ratio vera videretur ijs, qui simplicem cognitionem rerum gestarum finem esse Historiae, vel ab vnica tantum Historia petenda esse Prudentiam crederent.

Polyb.

De

De Historia Vniuersali. Cap. XVIII.

Potest itaq; Historicus plures actiones describere, verum quomodo plures esse debeant cognoscendum restat: nam Salustius quoq; & Appianus plures describunt, non tamen ea ratione, quam modo intelligimus: Hic enim plures eas esse dicimus, quæ quasi vnum corpus efficiunt, quod vulgo Vniuersalis Historia vocatur: Qui itaq; vniuersales Historias composuerunt, in duo genera partiuntur, nam alij vnius agentis omnes, vel multas actiones narrant: siue ille vnus Princeps sit, vt de Alexandro Curtius, & Arrianus, siue Respublica, vt de Romana Liuius. Alij multorum agentium multas actiones, vt qui orbis, vel ab initio, vel suorum temporum facta describunt, quemadmodum Trogus Pompeius, Diodorus Siculus, inter verò recentiores Blondus, Paulus Iouius, Tarcagnota, & plures alij. Videndum autem vtri istorum sint commendabiliores: quod igitur pertinet ad prudentiam, nulla ratio cogere videtur, vnius potius agentis actiones describere, quàm multorum nam dummodo bene, atq; ex arte narrentur, potest quisq; ex vtroque genere Historiæ finem, vtilitatemq; sibi comparare. Illa tamen, quæ sunt multorum agentium, & quæ vnius temporis, vel plurimum, Orbis res gestas complectuntur; maius incommodum habere videntur, quam quæ vnius agentis; nam cum omnia narrare oporteat, quæ contigere: multa autem, ac propemodum infinita contingant Historica narratione minime digna; ea si literis tradantur, tuapis euadit, vel vilescit Historia; si minus, dissociantur, & quasi scinduntur tempora, dum ea silentio transiguntur, quæ euenere. Præterea legentis animus nimia rerum mole obruitur, & cum vnius populi rerum gestarum narratio sæpius abrumpenda sit, vt alterius interponatur; fieri non potest, quin molestia lectoris mens afficiatur, & quin

illius memoria multum defatigetur, quæ intermissa repetere, & interrupta contexere cogatur. Propterea vnius agentis Historia longè videtur laudabilior, nam & magis vnitatem seruat, & in eodem cum semper lector versetur facilius, ac melius, quæ dicuntur, & percipit, & retinet. Illud præterea animaduertendum est, Historias ad commodum, vtilitatemq. Principum, eorumq. qui populorum gubernacula tenent esse potissimum instituas: Facilius autem hunc finem assequitur Princeps si Historiam legat, quæ sibi similis Principis res gestas narret: Princeps quidem vnus, siue Rex alterius Principis, vel Regis; Respublica verò sui similium, eiusdemq. speciei rerumpublicarum domi, militiæq. facta: nam ita quid sibi faciendum, quidvè fugiendum cognoscet ex eo, quod fecit, vitauitue Princeps is, vel Respublica, cuius actiones narrantur: quæ etsi colligi possunt ex Historijs quoq. vniuersalibus, in quibus hæc velut disiecta, ac dispersa iacent, multò tamen magis detinetur lectoris animus, si propter similitudinem agentis, omnia illa sibi scripta existimet, & longe maiore ea perlegit cura, atq. studio, cum ex illis paratam sibi videat vtilitatem, nec inaniter, ac frustra se ijs retineri, à quibus fructum nullum percipere queat.

De partibus Historię.
Cap. XIX.

CVm hactenus demonstrauerimus quas, & quot actiones suscipere Historicus debeat, reliquum videtur perscrutari, quomodo eas laudabiliter narrare possit: narrabit itaq. laudabiliter, si cuncta quæ cognoscenda sunt commemoret ea ratione, atq. ordine, quo videntur esse commemoranda. Partes igitur Historiæ quęrere oportet, singularumq. rectam, apteq. dispositam narrationem ostendere, habet enim ipsa quoq. sua membra, partesuè, vt & opus Oratoris, quam concionem, siue orationem

tionem appellamus, & opus Poetarum, quod Poema dicitur. Sic itaq; dicamus Historicus rerum gestarum cognitionem tradere contendit, oritur autem cuiusq; rei cognitio ex proprijs causis; causæ verò sunt quatuor efficiens, forma, materia, finis; ab his fontibus manat actionum vniuersa cognitio, efficiens est is, qui actionẽ facit forma est modus actionis, siue ipsamet; actio enim accidens est, accidentia verò nullam habent formam præter essentiam; sunt enim forma quadam. Materia est id, circa quod actio versatur, vel in quod agens agit: finis id, cuius gratia, vel à quo appetitus agentis incensus eum ad operationem impellit: Hæc igitur necessaria sunt, atq; essentialia ad cognoscendam actionem. Verum quia operationes, quas Historia suscipit, sunt actiones agentium per electionem, & appetitionem finis, non potest haberi absoluta, ac perfecta ipsius cognitio, nisi appetitus finis notitia tradatur, hoc est ob quam causam in agente extiterit appetitus illius finis: alia quoq; huius rei causa est: dictum est enim Historiam nõ quamlibet Prudentiam, sed rerum indifferentium, præcipue autem honestarum, ac laudabilium parere debere: Propterea actiones honestas, atq; commendabiles primo, ac per se commemorare: est igitur necessarium bonitatem, malitiamq; actionum cognoscere; ad id autẽ maxime confert appetitus finis cognitus, atq; perspectus; vnus enim idemq; finis ob variam appetitus rationem, diuersam efficit operationis qualitatem; nam si quis pro patria pugnet, vt eius libertatem tueatur, hæc operatio viri fortis iure dicitur, si autem vt sibi gloriam quærat non fortis, sed ambitiosi; deniq; si pugnet, vt postquam ab hostibus eam deffenderit libertatẽ ipse opprimat, Tyrannus: quapropter vnus, idemq; finis hoc est Victoria de Hostibus, potest ob variam appetitus causam; honestam, ac turpem operationem efficere. Hæc dicta sunt ad ostendendum, cur necessarium sit causam appetitus finis explicare, nam de his rebus diligentior in Actiua Phylosophia instituenda est tractatio: qui autem per electionem agit

in

in rebus dubijs consilium adhibet, ad cuius prescriptũ operatur, nam consilium modum, rationemq; imponit actioni, hinc fit causam eorum, quæ in actione fiunt intelligi non posse, nisi consilium ipsum cognoscatur. Igitur consilium quoq; necessaria pars est Historiæ, & quoniam in consilio non modo actionis modus siue ratio quæritur, sed & Instrumenta ad actionem peragendam necessaria, suntq; Instrumenta veluti partes quędam causæ agentis; essetq; obscura satis absq; eorum cognitione actionis notitia: Instrumenta quoq; describere in Historia oportet, neq; id tantum, vt diximus, sed ipsorum etiam apparatus, hoc est rationem, modumq;, quo reperta sunt, & comparata ab Agente: huius autem ea ratio est, quia scribuntur actiones in Historia, vt lector quid sibi agendum sit aliorum exemplo perdiscat: accidit autem plurimum ad recte obeundas operationes Instrumenta conferre: quapropter non tantũ quæ fuerint, sed interdum multo est magis necessarium rationem cognoscere qua sibi agens ea comparauerit: cum difficilius aliquando videatur Instrumenta comparare, quam quæ, qualiavè sint operationi necessaria intelligere; opus enim esse ad bella peragenda pecunijs nullus ignorat; at vero quæ sint ratione comparanda, non expeditam id sæpe habet viam. Postremo cum locus, & tempus maxime sint necessaria actionis circumstantiæ, omnino, & ista connumerandæ sunt inter partes Historiæ: nam verè hæ quoq; plurimum faciunt ad bene vel secus efficiendam operationem, vt facile quisq; in rebus bellicis intelligere potest, in quibus tanti sunt momenti, vt si quis actionem in Historia descriptam imitari velit, cæteraq; omnia seruet, loci, ac temporis non habita ratione, in grauissimos errores necessario labatur. Quapropter Historiæ partes sunt Agens, Actio ipsa quæ est forma; Materia actionis, Finis, Appetitus finis, Consilium, Instrumenta, Instrumentorum apparatus, Locus, Tempus; quibus addendum est Proemium, non quidem tamquam necessaria pars, sed vtilis ad bene afficiendum, præparandumq; lectorem,

Partes quantitatiuæ Historiæ.

ctorem, ea ratione, qua paulo post à nobis ostendetur.

De ordine Partium.
Cap. XX.

NVnc autem de ordine partium; Primum satis constat, quod vbicumq; adhibendum sit Proemium, illud priore loco statuere oportere, quod & nomen ostendit, & munus eius, de quo sequenti capite dicetur. Post illud statim aggredi actionem ipsam minime decet, quemadmodum enim multa illam praecesserunt dum perageretur, Instrumenta scilicet, Apparatus, Consilium; idem quoq; necesse est in narratione seruare, & quidem Instrumenta quaeruntur in consilio; Hoc autem explicare ignoto fine, cuius gratia initur, absurdum est. Vt enim iniri non potest sine proposito, ac praecognito fine, quod est illius principium, & causa; ita nec cognosci, aut intelligi: finem igitur consilio anteponere oportet; finis autem est, quod expetitur; quod autem expetitur ab aliquo expetatur neccesse est: nec potest esse finis vllo modo nisi sit alicuius finis, hoc est illius qui ad eum obtinendum operationem instituat, qui vocatur Agens: harum autem causarum prior natura est Agens, quam finis, faciliorq; redditur huius cognitio ex notitia agentis, vt videbimus. Priore igitur loco Proemium statuendum est, tum verò immediate Agentis notitia, cui finis cognitio rectè statim adiungitur, quae quoniam saepe non benè explicari potest sine causa ob quam sit expetitus, hanc sequi decet; nisi ea forte satis innotescat dum Agentis cognitio traditur; quemadmodum paulo infra dicetur, tunc enim finem praecedet, nec post illum repetenda erit. Proxime autem Materiae, siue subiecti, in quod inducendus est finis narrationem facere oportet; tum vt ea, quae de fine dicta sunt, ac de illius appetitione melius cognoscantur; tum verò vt ijs, quae in explicatione consilij dicenda sunt lux afferatur; vt enim prudenter nequeunt consilia iniri, nisi non mo-

modo

modo finis, sed subiectum quoq; peragendæ operationis cognoscatur; ità neq; in Historia satis dilucide explicari sine hostium aut Ciuium, quæ est nobiliorum actionum Historicarum Materia, decenti præcognitione: Sequitur Consilium, quod cum quæstio sit præsertim de Instrumentis, ac de illorum apparatu; fortasse huic narrationi esse admiscenda illorum cognitio videatur; id autem quæretur suo loco, præcedere tamen aliquo modo Consilium manifestum est; tum sequi narrationem Instrumentorum, cui statim adijciendus est eorum Apparatus. Peracto consilio, inuentisq; medijs, siue Instrumentis, constat; nisi quid obstet; Agentem aggredi operationem, propterea hæc videtur illius sedes in Historia; cui intrisece inest modus, & ratio; Locus autem, & Tempus ita cum illa sunt, vt neq; eam sequi, neq; anteire videantur: quare explicationem eorum narrationi actionis implicare necesse est; nisi forte videatur cognitio loci actionis narrationem præcedere; nam si quando oppugnanda sit Ciuitas ante oppugnationis expositionem situm illius describere oportet, & ante prælium in Campo, aut Valle, aut monte initum loci notitiam tradidisse decet, quemadmodum etiam temporis. Propterea Historiæ partes sic laudabiliter disponi posse videntur Proemium, Agens, Finis, Causa appetitus finis, Materia siue subiectum, Consilium, Instrumenta, Apparatus instrumentorum, Locus, Tempus, Actio.

Dispositio, siue ordo partiũ quantitatiuarũ Historiæ.

De Proemio. Cap. XXI.

D*Iximus Proemium esse Historiæ partem, non tamen essentialem, nam neq; actionem, neq; causam, aut circumstantiam aliquam narrat: ob eam rem prætermitti posse videtur absq; Historiæ narrationis detrimento, laudabilius tamen faciunt, qui Proemijs vtuntur, cuius afferri ratio non potest nisi munus eorum explicetur. Certum est itaq; Proemium esse extra rem, cuius est Proemium, ob id enim prologus appella-*

Quid nominis proemij.

tur eo quod locutio quædam sit, & oratio ante id quod primo, ac per se in sermonem, aut tractationem venire oportet: At verò non omne, quod rei præponitur, de qua sit habendus sermo, appellari posse Proemium censemus, nam si quis Aristotelis Proemium methaphysicum Milonianæ orationi Ciceronis anteponat, absurde Proemium illius concionis esse existimabit: quia quod verè, ac iure Proemium appellatur nexum aliquem habere oportet, cum ea oratione cuius est Proemium; propter quem nexum illius, & non alterius esse dicatur: Dicitur itaq; orationis Proemium, quod illam aliqua ratione iuuat; iuuatur autem vnumquodq; cum ei adminicula præstantur ad finem; finis cuiusq; locutionis immediatus est significatio eorum, quæ sunt in animo loquentis: sunt autem hæc alterius artis, ac fortasse Rhetoricæ: ad finem narrationis accedamus, & ad Proemium Historicum: finis Historiæ præcipuus, atq; vltimus est prudentia: intrinsecus autem cognitio rerum gestarum; cognitio traditur per narrationem; ad hanc percipiendam plurimum conducit auditoris affectio quædã, & præparatio, agunt enim omnia agentia præfinitæ virtutis multò melius, ac facilius in bene disposita subiecta: propterea multò facilius eorum, quæ narrantur notitia inditur animo, atq; imprimitur, si paratus sit ad audiendum; paratur autem si aliquid intelligat se ab ea narratione cognosciturum, quod scitu pulcrum, vel vtile, vel delectabile videatur, his enim mouentur omnes ad operandum; itaq; ad libenter audiendum hæc animum præparant, & iuuant cognitionem. Prudentia verò aliud expetit, quod sic explicandum videtur. Prudentia est recta ratio agibilium, agibilia vero & si incerta sunt, aliqua tamen est eorum recta ratio, quæ quo certior, eo habetur commendabilior; hæc certitudo ab Historia quantum fieri potest, efficienda est in eo, qui prudentiam quærit, ad hoc vero principijs certis niti debet; principium autem Prudentiæ sunt ea, quæ narrantur in Historia, dictum est enim prudentiam esse conclusionem, quæ dedu-

Verisimilitudinẽ esse in historia cõseruãdã.

citur ex rebus narratis; certa verò ſunt, quæ maximè creduntur, nam omnis certitudo Hiſtorica in eius fide, qui ſcribit collocata eſt; cum argumentationibus vti minimè poſſit, vel debeat: quæ igitur magis creduntur, magis certa videntur, oportet igitur credere ea, quæ narrantur, nam ſecus ex dubijs principijs certa concluſio inferri, atq; deduci non poſſet: creditur autem fideſq; alicui narranti adhibetur, cum, & ſcire quæ narrat, vt velle ea vti verè contigerunt recenſere opinio eſt: ſciri quæ narrantur poſſunt, vel quod oculis ſubiecta fuerint; vel quod ab ijs, qui ea viderunt, audita ſint; in ijs enim rebus omne cognitionis principium à Viſu: quare dicendũ eſt neceſſarium eſſe vel rebus interfuiſſe, vel ab illis, qui interfuerunt accepiſſe; ab illis quidem, qui non modo interfuerunt, ſed partes actionis extiterunt, ab huiuſmodi enim viris conſilia, fines, ac veræ cauſæ cognoſcuntur: propterea apud eximium Poetam, vt fidem à ſe dicendis faceret Aeneas, inquit, Quæq; ipſa miſerrima vidi, & quorum pars magna fui; *hi enim, vt diximus, verè poſſunt geſta narrare, qui non ea tantum oculis hauſerunt, ſed eorundem pars quoq; fuerunt; nam videre eſt effectus, operationemq; ipſam ſolummodo cognoſcere, at verò cauſæ, conſilia, & huiuſmodi ijs tantum nota ſunt, qui rebus tanquam Autores, vel miniſtri interfuere. Eſt igitur neceſſarium Hiſtoricum dicere primum quidem qua ratione id agnouit, quod narrat; ſecundo autem loco profiteri velle ſe ea narrare, quæ vera ſunt: falſum autem dicitur ab eo, qui veram habet cognitionem, vel propter amorem, vel propter odium illius, cuius acta narrantur, vel ob alias animi perturbationes, vel etiam ad oblectandum: propterea enim multa ſæpenumero mentiuntur Hiſtorici, Poetarum in morem: Veritas autem dicitur primum quidem propter vtilitatem eorum, qui legunt; tum verò quia nulla perturbatio impedit, & quod verus finis Hiſtoriæ agnoſcitur; quæ eſt prudentia, non delectatio. Igitur oſtendenda eſt cupiditas lectorum vtilitatis, ac propter illam tãtummodo profiteri*

Quas ob cauſas hiſtor. voluntariè mẽtiãtur.

fiteri se Historiam scribere, nullaq; aut ignoratione finis, aut vanitate, ambitioneuè, aut affectu ab ea posse dimoueri. Quoniam verò quisq; de se prædicans subit falsitatis suspicionem, testimonium aliorum postulatur; non potest autem haberi nisi cognoscatur is, qui scribit, nam tunc de eo quid alij scripserint, senserintuè facilè intelligitur: præsertim si sit fama celebris; Quare in Proemio videtur necessarium nomen Autoris exprimere, quid qualeuè sit id quod narratur ostendere; qua ratione ea, quę dicuntur agnita sint, & velle Historicum ea dicere, quę vera cognouerit, nulla effectuum perturbatione, vel ignorantia finis, aut muneris Historiæ deceptum. Quę sint partes Proemij.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

SI vera itaq; sunt, quæ de Proemio præcepta tradidimus, primum quærendum videtur, num duo clarissimi scriptores reprehendendi sint, quod illud omiserint, an aliqua ratione excusandi. Nam Max. Cæsar neq; libris de bello Gallico, neq; Historiæ belli ciuilis proemium apposuit; & Xenophon non modo in narratione de rebus gestis Græcorum, quæ sanè ad eo ieiuna est, vt reprehensione non vacet; sed in elaboratissimo quoq; opere, de Cyri minoris expeditione, illud prætermisit: & quidem cur in Historia de rebus gestis Græcorum omiserit, nulla mihi ratio alia occurrit, quam quod indiligentissimum opus, hac etiam parte, vt multis alijs carere decebat; nisi forte dicamus deesse principium; nam verè adeo est abruptum illius narrationis exordium, vt mirum videatur: At verò in Anabasi, in qua conscribenda summopere laborasse satis constat, consultius multo fecisset si proemio vsus esset; quo inter cætera graui nos dubitatione liberare potuisset: cui nam illud opus adscribendum sit, cum verba eius in Historia de rebus gestis Græcorum in suspicionem de Themistogone nos facilè inducere possint; vt superius à nobis iam dictum est. Iulius autem Cæsar Xenoph. & C Cæsar nũ recte proemia omiserint. Xenoph. Lib. 3. C.Cæsar.

suas Historias Commentarios vocauit, vt docet Cic. in Bruto, & præfatio octaui libri de bello Gallico, quem scriptis maximi illius Imperatoris, atq; Historici, Hirtius, siue Oppius interposuit: sunt autem Commentarij nuda, ac ieiuna narrationes, ac veluti materies ab Historia diligentiore stylo elaboranda; propterea præfationes tamquam perfecti operis proprias merito prætermittere potuit: Nisi forte huic aliam efficaciorem rationem adiungamus: Nam solo nomine Autoris omnia Cæsar executus est, quæ alij longis præfationibus vix assequi possunt, cum enim ex eo lectores intelligant ab illomet res esse memoria traditas, qui eas gessit, sanè à sciente actiones, consilia, & reliqua quæ cognoscenda sunt, Historias esse descriptas cognoscunt. Verũ dicet aliquis; intelligitur quidẽ ex nomine ab eo esse res narratas, qui illas gessit at ex eodem facile in suspicionẽ venimus falsa esse, quæ narrantur; lubrica enim res est de se ipso, maxime apud posteros, prædicare: sed qui hoc dicit; illud quoq; animaduertere debent; hanc suspicionem nullo Proemio sanari posse; nam quicquid quiuis dicat ad fidem sibi comparãdam, dum de se ac rebus suis loquitur, difficillime se tuetur à suspicione falsitatis; ac propterea ad eam tollendam frustra C. Cæsar præfationem adhibuisset: quod autem magna sint, & cognitione digna quæ narrat, famam ipsam rerum ab eo gestarum id omnibus ostendere facile sibi persuadere potuit: Propterea Proemio vsus non est: quam tamen quæstionem de Historia belli Gallici tantum mouendam esse arbitror; nam eius consilium fuisse videtur omnes ab se res gestas continuata narratione posteritati mandare; itaut belli ciuilis narratio eam sequatur, quæ res in Gallia gestas commemorat; quod ex additione octaui libri ad septimum de bello Gallico intelligitur; illi enim narrationi principium belli ciuilis adiungendum est, vt legentibus satis esse manifestum arbitramur: propterea cum nouum, vel disiunctum opus non sit, præfationem minime poscebat: Iosephus in Proemio Belli Iudaici omnibus ferè Proemij partibus egregie

Cur Cæsar Proemiũ omiserit.

Ioseph.

satisfacit;

satisfacit; nomen enim suum apponit, seq; rebus omnibus interfuisse dicit; ac bellum sua tempestate maximum se scripturum profitetur: Verum quæ contra Græcos ibidem dicuntur, & conquęstiones de calamitate Iudæorum, vrbisq; præclara excidio, vana, & oratoria sunt; quod ipsemet quoq; intellexisse videtur; ait enim si Historiæ non concedantur, iusto saltem dolori esse permittenda: qua sui affectus declaratione quantum Historiæ officiat sua satis intelligitur; nam odio, vel amore, aut alio affectu perturbatis haud facile adhibenda est fides. Herodoti Proemium breuissimum est, nomen autoris, & argumentum operis complectitur; at verò qua ratione ea quæ narrat scire potuerit minime ostendit: finem autem, atq; vsum Historiæ se non attigisse demonstrat, nam propterea se Historias scribere ait, ne memoria rerum humanarum intercidat: In Proemio Tucididis commendabile, quod nomen suum Herodotum forte ęmulatus apponit: quod se eodem tempore vixisse dicit, quo gesta gesta sunt ea quæ narrat; & qua ratione illa scire potuerit ostendit; ait enim omnia, quæ dixere singuli, vel post bellum, vel etiam gerentes, difficile fuerit exactè referre, siue à me ipso audita, siue aliunde ab alijs mihi narrata; verum vt quisquis semper de rebus præsentibus maxime consentanea dicere videbatur, & communi opinione ad veritatem accedere, sic à me commemorata sunt: *Hæc autem de concionibus dicta videntur, nam illa paulo post addit*: At verò res in bello gestas non quas à quolibet audiui dignas duxi quas scriberem, neq; vt mihi videbantur, sed eas quibus ipse interfui, quasq; sigillatim ab alijs, quam potui diligentissimè inuestigaui: *quæ tamen dissentire fortasse alicui videantur ab ea quæ dicuntur in principio Proemij*, Tucidides, *inquit*, Peloponensium, Atheniensiumq; bellum, quod inter se gesserũt conscripsit, exorsus statim ab eo moto, sperans fore tum magnum, tum superioribus memorabilius: *his autem verbis*

Tucid.

quæ

quæ paulo supra attulimus ait bellum esse iam gestum, cum scripsit Historiam: illius autem magnitudinem ostendere conatur, atq; in eo vniuersus Proemij labor insumitur longissima, ac superuacua (vt mos est Græcorum) oratione; nam Athenienses primos ferrum deposuisse cum armati Græci omnes more barbarorum incederent; Lacedemonios primos Medica veste vsos, primosq; corpora nudasse, atq; vnxisse certaturos; Corinthios primum excogitasse naues, quæ ad formam eorum, quæ tunc in vsu essent, proxime accederent, commemorat, quæ nihil omnino ad rem faciunt: credo autem illum gloriæ desiderio captum iactare cognitionem voluisse rerum antiquarum totius Græciæ: vnde apprime ad rem Horatianum illud, & fortasse cupressum scis simulare, sed non erat hic locus. *Illud autem consideratione dignum videtur in amplificatione magnitudinis belli describendi, multipliciter eum errare, primum quidem superfluitate verborum, quæ legentium animos ipso in limine defatigat, & quod præterita futuris comparat, bellum enim ab eo describendum nondum erat gestum, cum Proemium composuit; id verò vanum est, cum futurorum præsertim contingentium qualitas in incerto sit: Deniq; vrbes vacuas factas, expugnatasq; & dirutas partim à Barbaris, partim à Græcis, & fugas oppidanorum belli magnitudinem ostendunt; at verò terræmotus, solis defectus immensi æstus, pestilentesq; morbi, hæc sanè nihil ad belli magnitudinem: optimum autem illud.* Verum quia non fabulosæ minus erunt fortasse auditu suaues, sed quicumq; volent rerum veritatem intueri, & cum etiam aliquando talia iterum similiaq; ; vt sunt res humanæ ventura sint, discernere vtilia, abundè poterit; *veras enim Historiæ vtilitates se vidisse declarat. Polybius nomen suum in Proemio minime apponit, nec qua ratione ea sciuerit, quæ narrat, verum id reicit in tertium librum; forte non illaudabili consilio; inde enim incipit narratio rerum gestarum, quas ipse sibi describendas assumpsit, propterea dicit,*

Mos incedendi cũ armis

de Arte Poetica.

Polyb.

ea

ea scribam quorum nō modo spectator fui, veruū etiam hortatór atq; adiutor, *& de rebus Gracis*; Hinc fit, *ait*, vt partem ipsi viderimus, partem ab alijs qui viderunt audiuerimus. *In prafatione autem primi libri proponit quibus de rebus instituat narrationem; praterea quam magna sint, atq; vtiles, inquit enim.* Quis adeo est hominum vel prauus, vel ignauus, qui nosse refugiat, quo modo, quo ve regnandi genere, vniuersæ totius orbis nationes domitæ, ac intra triū, & quinquaginta annorum spatium imperio pop. Rom. subiectæ fuerint: *Magna quidem hęc; sed pace illius, nugæ sunt, & vanitates, quę de rebus Gracis admiscet: sequitur,* at quā grande, quámq; excellens sit hoc nostrum opus palam erit, si Principatus, qui maxime dignitate, & gloria floruerunt, de quibus amplissime scripserunt Historici Romani Imp. excellentiæ comparabimus: *Ea verò comparatio adeò longa est, vt lectorem nullum aliud negotium habere, quam eius Historias perlegere sibi persuasisse videatur: qua in re Graca vanitas Tucididi concedere noluit: Profitetur autem velle se res Romanas describere; alibi tamen vt supra diximus, ait, se non vnius dumtaxat, aut alterius gentis, quemadmodum cateri scriptores facere vt puta Gracorum, siue Persarum, sed omnium totius orbis partiū, qua in illius notitiam venerunt res gestas cōmemorare. Illud autem reprehensionem minime potest subterfugere, quod non modo in Proemio, sed in opere ipso sapius de vtilitate Historia disputat; vtilitas enim est finis; huius autem cognitio, vel supponitur, vel traditur in arte docente, nō in operante; ac propterea Rhetorica agit de persuasione, Oratoriaq; artis vtilitatem decet esse ciuibus persuadere; at verò in Arte operante, hoc est in oratoria, vel in concionibus minime huius fit mentio; licet in hunc errorem sape Tucidides suis concionibus incidat; sed omnia peraguntur ad finem illum obtinendum; quemadmodum & Medicus in arte docente, qua sit medicina vtilitas, quę*

Vniuersus orbis intra spaciū triū, & quinquaginta annorū à Rō. subactus est

Lib. 2.

ratio medendi commendabilior, atq; præstantior ediſſerit; at verò in operante hoc eſt dum præceptis vtitur, atq; actu ægros curat, hæc tamquam aliena ommittit; ſed operans ea retinet memoria, vt illis operationem ſuam dirigat, ac recte operetur. Propterea vniuerſa illa oratio, qua Polybius in Proemio vniuerſalem Hiſtoriam particulari præfert ad artem Hiſtoricam pertinet, non ad Hiſtoriam: Verum in huiuſmodi errores facilè labuntur, qui artium fines, & munera minime cognoſcunt: Dyoniſ. Halicar. *Eandem cenſuram ſubit Dyonſius Halicarnaſſeus, nam & quæ argumenta ſumenda ſint ijs, qui ſcripturi ſunt Hiſtorias, & qua diligentia, quibusuè ſubſidijs ad ea bene, ac laudabiliter tractanda ediſſerens, in Hiſtoriæ Artis fines irrumpit: At verò non ferendum, quod ait de forma ſuæ Hiſtoriæ, mixtam enim futuram dicit ex quolibet genere rerum, cum earum quæ in ipſa actione, tum earum, quæ in ſola contemplatione verſantur, vt ſatisfaciat ijs, qui ciuilibus negotijs vacant, & ijs, qui philoſophiæ contemplationiq; dant operam, & ſi quibus quieta oblectatione in Hiſtoriarum lectione opus erit: ex quo ſatis apparet veram Hiſtoriæ vtilitatem, & propriam illi fuiſſe ignotam. Quapropter etſi in eius Proemio multa ſunt commendatione digna; multa tamen ſunt minime imitanda: optimum eſt quod non modo nomen ſuum apponit, ſed etiam qua ratione ea ſcire potuerit, quę poſterorum memoriæ commendat;* propterea, *inquit,* meum conſilium aperire decreui, & reddere rationem facultatum, per quas rerum ſcribendarum cognitionem ſum adeptus. *Præterea oſtendit, quę ſint ea, de quibus narrationem inſtituit, & cauſam ob quam Hiſtorias componere ſit aggreſſus; in quo tamen defeciſſe videtur, nam ob eam rem ſe ad ſcribendum animum appuliſſe dicit, vt ex animis Græcorum falſas opiniones euelleret de principijs Romanæ vrbis, & vt facile paterentur, tàm iuſta Ciuitatis Imperium: quaſi verò magni id momenti eſſet, vel valde exiſtimandum quicquid gens Græca, quæ tunc temporis plebs erat, &*

anti-

antiquorum fama, & scriptis celebratorum fax de Romana vr bis exordio sentiet, vel quod iniquo animo, aut agrè Romanum iugum perferret: Quæ forte ipse cognoscens, alium finem adiungit, vt scilicet viri fortes, qui fatum suum impleuerunt, gloriam immortalem adipiscantur; & vt ne cum corpore memoria eorum intereat; sed vigeat apud posteros, à quibus debitis laudibus cumulētur, ac deniq; vt illos præsens, & futura eorum progenies imitetur. *Quā verò dignum sit operis argumentum fuse ostendit, qua in re fere omnes Greci Tucididem imitantur. In eo tamē illud animaduertendum est fallaciam committi; nam ex hoc quod prēclaræ, ac nobilissima Reip. gesta commemoret, non sequitur, Historiam esse vtilem; vtilis est enim, quæ prudentiam parere apta est; huiusmodi autem videtur, quæ res prudenter factas exponit; magni autem Principatus haud necessario actiones magis prudentes sunt, quam minorum; idq; satis ex eo constat, quod Spartam melius in pace temperatam fuisse, quam Romanam Remp. grauissimi autores existimarūt; eaq; communis est opinio apud sapientiores; propterea eorum res gestæ in pace necessario prudētiores fuere: at verò vtriusq; Ciuitatis Imperium riducule faciat, qui voces in comparationem: præterea Persarum potentia longè maior fuit, quam Spartanorum; at verò belli facinora sanè magis prēclara edita sunt à Spartanis, quam à Persis. Sophistice igitur argumentatur Halicarnasseus dum Historiæ suæ vtilitatem cæteris anteferre contendit ex eo quod potentioris populi res gestas memoriæ commendet: Quacunq; tamen in illo reprehendantur debitam ei laudem eripere non debent; nam omnia quæ in Præfatione facienda esse docuimus egregie hic autor exequitur. Nomen suum apponit, quæ & qualia sit scripturus, & qua ratione ea scire potuerit, & cuius gratia ad scribendum appulerit animum ostendit; quæ sanè omnia in alio nullo Historico reperiuntur. Appianus Alexandrinus nomen suum, & conditionem minime reticet, inquit* Appian. Alex.

enim, sum Appianus Alexandrinus, qui primum in patria vixi, tum Romę post exercitium patroni, in Aulam, & seruitutem Imperatorum adscitus sum, *at verò quomodo cognitionem habere potuerit eorum quæ scribit, & quam in eo diligentiam adhibuerit, omnino præterit. Dignitatem autem Historiæ suæ, ne imitari Tucididem prætermittat; (nam Græco Religio fuißet) ostendere conatur comparatione Imperij Romani cum Macedonico, Persarum, Medorum, Grecorumq́; alieno loco, ac temere; alieno quidē loco, nam per illam cognitio Agentis hoc est Romani Principatus traditur; hæc autem cognitio pars est, vt diximus, Historiæ à Præfatione separata, ob idq́; ei minimè miscenda; temere verò, atq́; imprudenter, quia ostendit magnitudinem atq́; potentiam Romani Imperij tempore Adriani, cæterorumq́; Imperatorum, quæ notitia nihil facit ad ea, quæ in Historijs describit; nam illa tempore, quo Resp floruit euenerunt. Salustius in Proemio Coniurationis, quid scripturus sit docet, Coniurationē scilicet aduersus Remp. & qualitatem*, id enim facimus, *inquit*, ego in primis memorabile existimo sceleris, atq; periculi nouitate. *Veritatemq́; profitetur, cùm liberum se habere animum dicat à spe, metu, & partibus Reip. nomen autem suum reticet, licet de se multa inaniter commemoret; quomodo ea sciuerit; quæ narrat suspicari potius, quam ab eo intelligere possumus; finis autem ob quem Historias componere statuit, propria potius apud illum, quam lectoris vtilitas*; non fuit consilium, *inquit*, socordia, atq; desidia otium conterere, aut ætatem agere seruilibus officijs intentum; sed res gestas pop. Rom. strictim, vt quæq; memoria digna videbuntur, perscribere statui: *omnino autem multa dicit superuacanea, & nihil ad rem spectantia: Huius tamen autoris ab imperitissimis Grammaticis breuias commendatur: Proemium quoq́; Iugurtinum totum extra rem, multoq́; magis Preceptiua philosophia, quā Historico dignum: In eo tamen illud commendabile, quod se Historias*

Salustius

scribere

scribere profitetur, vt ciuibus prosit, credit autem prodesse excitãdo ad praeclara facinora maiorum exemplis. Quòd bellum, & quam graue scripturus sit optimè explicat; ac sanè non Graeco more bellum, *inquit*, scripturus sum, quod pop. Rom. cum Iugurta Rege Numidarum gessit, primum quia magnum, atq; atrox, variaq; victoria fuit; dein quia tum primum superbiæ nobilitatis obuiã itum est, quę contentio diuina, & humana cuncta permiscuit, eoq; vecordię processit, vt studijs ciuilibus bellum, ac vastitas Italię finem facerent; *quæ neq; grauius, neq; elegantius, neque melius à quoquam dici poterãt. Titus Liuius in Præfatione vniuersi operis, quæ scripturus sit, proponit, & ad quem finem, vt scilicet legentibus prosit*; Hoc illud est, *inquit*, pręcipue in cognitione rerum salubre, ac frugiferum; omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, inde tibi, tuęq; Reip. quod imitere capias; inde fœdum incœptu, fœdum exitu quod vites: *Praeterea vt consuleret memoriæ rerum gestarum pop. Romani, & vt se à conspectu malorum pręsentium auerteret: Nomen silet; rationem qua narrata cognouerit, antiqua pręsertim, & proxima originibus, vt ipse ait, minime ostendit, quę tamen incerta, & fabulosa sępe appellat, quibus Historię suę fidei non multum consuluisse videtur. Reliquę Pręfationes eius eodem modo examinandę: Cor. Taciti duo habemus Proemia, primum Annalium, quos vocant, secundum Historiarum; in primo nomen reticet, argumentum proponit: causam qua sit adscribendum impulsus ostendit, quę tamen consideranda est; inquit enim*; Tiberij, Caijq;, Claudij, ac Neronis res gestę florentibus ipsis ob metum falsę, postquam occiderant recentibus odijs composita sunt; inde consilium mihi pauca de Augusto, atq; extrema tradere; mox Tiberij Principatum, *& reliqua deinde addit*, sine ira, & studio, quorum causas procul habeo. *Itaq; quoniam falsa erant de Tiberio*

Tit. Liu.

Tacitus.

Caio, & cæteris Imperatoribus tradita, consilium iniuit eadem verè scribendi; at de Augusto paulo ante ait, temporibus Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrerentur: quibus ostendit multa de Augusto, vel omißa, vel falso tradita, si à verè scribendo Historici deterriti sunt; propterea vel prętérita, vel falsa narrata de Augusto non minus eadem ratione scribere, eum decebat, quam quę de Tiberio, & alijs commemorat. Illud considerandum quoq; quomodo dicat deterritos esse scriptores adulatione, adulatio enim non deterret, sed falsa prędicat, vt ad aures loquatur; nisi forte dicatur adulationem Aulicorum scriptores deterruiße à vera dicendo. Illud autem ab eo prętermitti non oportebat, qua ratione ea cognouerit, quę narrat, nam si ab alijs accepit, suspicionem illa faciunt, Res Tiberij, Caij, Claudij, ac Neronis florentibus ipsis ob metum falsæ, postquam occiderant recentibus odijs composita sunt; *propterea neq; ijs adhibenda est fides, qui illis viuentibus, neq; alijs, qui post eorum mortem scripserunt. At verò per se ipsum ea cognouiße non potuit, nam si eius dignitas, vt ipse ait, à Vespesiano inchoata, à Tito aucta, à Domitiano longius prouecta, quam ad Traiani tempus vsq; produxit; viuente Tiberio necesse est illum adhuc natum non fuiße, vel valde puerum extitiße. Præterea quomodo probat se neq; ira, neq; studio affici in rebus commemoradis; si à Vespesiano fatetur dignitatem suam inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longius prouectam? & quomodo dicit se illorumus affectuum causas procul habere? nam qua tandem ratione Principes scriptorum studia sibi conciliare poßunt, si inchoando, augendo, ac longius eorum dignitatem prouehendo minime valent? Ipsiusmet igitur testimonio falsum est eum studij causas procul habere; vnde dubia valde nobis redditur illius fides in ijs, præsertim quę de Vespesiano, Tito, Domitianoq; commemorat. In secunda verò præfatione conditionem suam ostendit, ex quo intelligi potest qua ratione ea quæ narrat scire potuerit,*

potuerit, nam (vt paulo ante diximus) dignitatem suam ait à Vespesiano inchoatam, auctam à Tito, longius prouectam à Domitiano, ijsdemq; temporibus magistratus gessisse; nomen autem suum reticet, vnde quis nam sit, & vtrum de se vera, an falsa prędicet non sane liquet, nisi satis notum esse dicamus ex inscriptione operis, dum dicitur Historię Cor. Taciti. In prefatione Herodiani placet, quod proponit ea quę dicturus est, & magnitudinē eorum describit Tucididē imitatus; ostēdit pręterea vnde ea scire potuerit, ait enim, quæ post Marci obitum per vniuersam ætatem visa mihi, auditaq; sunt, nonnulla etiam in experiēdo cognita, vtpotè in publicis officijs, principatibusq. versato, ea nunc scribenda suscepi, *quę autem dicit contra quosdam scriptores Hist. ad artem Historicam pertinent; ex nostris autem Paulus Iouius à reliquo sui operis corpore proemium abscindit non commendabili consilio; est enim pars si minus necessaria, saltem vtilis quemadmodum diximus: suum nomen obticet: ad iuuandum, & oblectandum se Historias composuisse dicit: accepisse autem quæ scribit in aula Vaticana, & ab ijs, qui ea gesserunt Principibus; Vera se narrare nec profitetur, nec profiteri potuit, cum tam multa in Principum, quorum res gestas commemorat gratiam prędicet, vt poema potius, quam Historia eius opus appellandum esse videatur: Franciscus autem Guicciardinus longe pręstantiori autoritate, & grauitate Historicus nomen suum in proemio non apposuit, quod tamen in Historia facit; res gestas suorum temporum se scribere dicit, easq; magnas, atq; adeo maximas, & memoria dignas pradicat; qua vera ratione ea cognouerit non demonstrat, in opere tamen & vidisse illas, & earum se partem fuisse narrat; veritatemq; enixe dicturum profitetur. Non placet autem quod dicit de Historia vtilitate,* quorum cognitione accidentium tam variorum, atq. grauium poterit quisq. ad priuatam, & publicam vtilitatem multa salutaria exempla sibi comparare, *nam hęc vt diximus ad*

Herodianus. Paul. Io. Francisc. Guic.

Artem

Comine. *Artem Historicam pertinent. Philippus Comineus Proemium sui operis epistola ad Archiepiscopum Viēnensem absoluit, propterea non eadem ibi requirenda omnino quæ in præfationibus; in ea tamen multa dicit de se, suaq; conditione, ac fortasse nimis multa, cum ad amicum scribat: quomodo ea cognouerit, quæ ab se narratur satis ostendit, dum dicit se omnibus fere interfuisse: Duo tamen in ea epistola valde improbanda videntur, primum quæ prædicat de Ludouico xi. cuius facta commemorat:* Cum magnum ex eius morte sit mihi inflictum vulnus; non debet cuiquam mirum videri, si quantis ab eo dū viueret affectus fuerim beneficijs memoria optime complectar. *Alterum verò:* Nec tamen dum eum laudo aliorum virtutem imminutam volo: *Hæc duo inquam valde improbanda; nam ijs sumopere Historiæ fides labefactatur, nisi forte ea fulciri videatur ijs, quæ addit,* quia mendacia inserere nolo fortasse quædam dicentur, quibus Ludouicus laudem minime consequetur, *illud tamen aduertendum, quod cum is autor profitentur velle se, ob memoriam beneficiorum, Ludouici res gestas narrare, in maiori tamen parte operis diligentissime ea quæ ad Carolum pertinent commemorat, quæ verò ad Ludouicum, vix attingit. Hæc de fama celebrioribus Historicis dixisse operæ pretium fuit, ad melius, vt diximus, tum declarandas, tum confirmandas præceptiones, quem morem in reliquis quoq; obseruabimus; breuiter tamen, ad euitandam legentium molestiam; ob quam eandem rem multos consulto scriptores prætermisimus, de quibus forte in reliquis præceptionibus iudicium opportune feretur.*

De

De Agente. Cap. XXII.

Ratienibus iam dictis explicanda est in Historia, causa efficiens, quem nos Agentem vocamus; afferemus autem hoc loco aliam rationem quæ principium erit demonstrandi Historico, quam Agentis cognitionem exhibere oporteat, non enim definire eum debet, hoc est enim munus philosophi contemplatiui; neq; eius anatomem ostendere, nam hoc ad medicum spectat; neq; forte multa afferre de illo, quæ sæpe superuacanee ab Historicis dicuntur. Dictum est itaq; Historiæ lectorem velle ex ea rationem agendi perdiscere, qua vti possit, si quando similia contingant: vt autem recte agere queat ex Historiæ præceptione; non modo circumstantias actionis necesse est cognoscere, sed multo magis causas & præcipue Agentem; nam si cætera similia sint, ipse tamen, qui operaturus est differat ab Agente actionis enarratæ, eosdem rerum exitus expectare minime debet. Id omnibus manifestum est, multo enim facilius à bello se, vel hostium impendenti periculo tuebitur magnus, ac præpotens Princeps, quam parui nominis, ac potentiæ; & facilius reperient qui pro libertate se morti obijciant Respublicę, & Principes iusti, quam Tyrannus; nec eadem sunt ferendæ leges in populari Republica, quæ ab Rege, nec eadem est in vnius principatu magistratuum instruendæ ratio, ac in moderatione paucorum, vel populari. Quapropter ad rectum eneundum futurę actionis consilium necesse est eum qui agendi rationem ab Historia quærit Agentem perfecte cognoscere, vt similitudine, siue dissimilitudine perspecta, melius, ac totius quid sibi agendum sit intelligere queat. Hæc ratio communis est omnibus Historiæ partibus, quas propterea Historicum diligenter explicare oportet; & ex ea colligitur quatenus de illis tradenda sit cognitio in Historia: dicimus enim harum partium fieri oportere cognitionem, vt is, cui Historia scribitur ex

cogni-

cognitione similitudinis, vel dissimilitudinis deducere valeat quid sibi agendum, vel quid cauendum sit. Videndum est autem qualem esse hanc similitudinem, vel dissimilitudinem in Agẽtibus oporteat; an scilicet oculorum, aurium, coloris, faciei, habitus corporis, nam ista quoq; plures Historiæ narrant. Ex prædicta itaq; similitudine deducenda est, vt diximus, agendi ratio, nam quædam fit tacita argumentatio, cuius maior propositio hæc est, ex similibus causis similes effectus oriuntur, quæ propositio, vt supra demonstrauimus, totius est Historiæ vtilitatis principium, ac fundamentum; propter hanc enim, qui legunt ad operandum accedunt eadem ratione vtentes, qua hi vsi sunt, quorum facta narrantur; propterea quæ neq; iuuant actionem, neq; illi officiunt ommittenda sunt; nam ex his Historiæ lector nullam percipit vtilitatem. Videamus itaq; quid in Agente esse possit, quod ad actionem pertineat. Is qui agit, tribus tanquam actionum principijs, vel adminiculis niti potest, animo, corpore, ac bonis externis: In animo principium rectæ actionis est prudentia, in corpore robur, sanitas, agilitas; velocitas; externum principium omnia complectitur, quæ nomine potentiæ significantur, hæ quidem per se causæ sunt; per accidens autem aliæ in animo, in corpore, & etiam externis; accidit enim aliquando propter egregias animi qualitates, alicui facillimam esse actionem, cęteris alioqui futuram difficillimam; non quod qualitates illæ per se causa sint, sed quod efficiant materiam circa quam actio versatur magis ad recipiendam actionem dispositam, vel minus actioni agentis repugnantem. Multos enim legimus propter clementiam, iustitiam, beneficentiam, multos pulchritudine corporis, ac decenti forma, multos fama sui nominis, quæ vel alliciunt eos ad quos futura actio est, vel etiam deterrent; bella facillime confecisse, repressisse coniurationes, leges imposuisse. Quæ igitur semper actionum causæ sunt ea semper narrare oportet, quæ verò minime, tunc narranda cum causæ fuerunt: in rebus quidem ciuilibus

Quæ de Agẽte narranda sint in historia.

bus prudentia plurimum valet, semperq; ea rectarum actionum causa est; quin etiam reliqua animi bona multum conducunt ad commendabilẽ administrationem, tùm verò potentia qua vtimur in ijs imperandis, quæ prudenter, ac iuste decernimus esse facienda: in bellicis autẽ peritia rerum militiarium, & potentia: interdum robur corporis, agilitas, velocitas; hæc igitur narranda, cum vel perfecisse actionem, vel propter defectum illi obfuisse cognoscetur. Primum autem Rex ne fuerit, an optimatium status, vel multitudinis, vel alia species, & forma Principatus; vt is qui legit suam cum illo Agente similitudinem, dissimilitudinemq; possit intelligere: præcipue autem potentia in rebus bellicis describenda est, quod imperium, quos populos, milites, pecuniam, arma, commeatus, amicos, amorem, odiumuè subditorum, aliorumq; Principum habuerit: Non tamen quibus adminiculis, vel medijs vsus sit in illa actione, nam hæc explicanda sunt in ea parte Historiæ, quæ ad Instrumenta describenda pertinet. His autem addenda si qua sunt reliqua, quæ iuuare possint, vel impedire actionem, potentemq;, vel imbecillem agentem efficere. Quæ verò extra rem sunt, vt plerumq; mores quidam animi, habitus corporis, & horum similia manifestum est opus esse, alijs describenda relinquere, vt ijs, qui phisiognomica scribunt, vel laudes: nam Historico vtilitatem tantum legentis hoc est prudentiam propositam esse decet: iam enim dictum est non omnia, esse tradenda posteris ab Historico quæ in Agente reperiuntur.

Ex his fertur iudicium de Historias.

TVcidides itaq; cum bellum inter Lacedæmonios, & Athenienses describat, nullam tamen illorum pop. cognitionem tradit, superuacaneum fortasse existimans clarissimarum ea tempestate vrbium notitiam exhibere, in quo falsus est, nam Historici non suæ tantum ætatis hominibus, sed multo magis Tucid.

cognitione similitudinis, vel dissimilitudinis deducere valeat quid sibi agendum, vel quid cauendum sit. Videndum est autem qualem esse hanc similitudinem, vel dissimilitudinem in Agētibus oporteat; an scilicet oculorum, aurium, coloris, faciei, habitus corporis, nam ista quoq; plures Historiæ narrant. Ex prædicta itaq; similitudine deducenda est, vt diximus, agendi ratio, nam quædam fit tacita argumentatio, cuius maior propositio hæc est, ex similibus causis similes effectus oriuntur, quæ propositio, vt supra demonstrauimus, totius est Historiæ vtilitatis principium, ac fundamentum; propter hanc enim, qui legunt ad operandum accedunt eadem ratione vtentes, qua hi vsi sunt, quorum facta narrantur; propterea quæ neq; iuuant actionem, neq; illi officiunt ommittenda sunt; nam ex his Historiæ lector nullam percipit vtilitatem. Videamus itaq; quid in Agente esse possit, quod ad actionem pertineat. Is qui agit, tribus tanquam actionum principiis, vel adminiculis niti potest, animo, corpore, ac bonis externis: In animo principium rectæ actionis est prudentia, in corpore robur, sanitas, agilitas, velocitas; externum principium omnia complectitur, quæ nomine potentiæ significantur, hæ quidem per se causæ sunt; per accidens autem aliæ in animo, in corpore, & etiam externis; accidit enim aliquando propter egregias animi qualitates, alicui facillimam esse actionem, cæteris alioqui futuram difficillimam; non quod qualitates illæ per se causa sint, sed quod efficiant materiam circa quam actio versatur magis ad recipiendam actionem dispositam, vel minus actioni agentis repugnantem. Multos enim legimus propter clementiam, iustitiam, beneficentiam, multos pulchritudine corporis, ac decenti forma, multos fama sui nominis, quæ vel alliciunt eos ad quos futura actio est, vel etiam deterrent; bella facillime confecisse, repressisse coniurationes, leges imposuisse. Quæ igitur semper actionum causa sunt ea semper narrare oportet, quæ verò minime, tunc narranda cum causæ fuerunt: in rebus quidem ciuili-

Quæ de Agēte narranda sint in historia.

bus

bus prudentia plurimum valet, semperq́; ea rectarum actionum causa est; quin etiam reliqua animi bona multum conducunt ad commendabilẽ administrationem, tùm verò potentia qua vtimur in ijs imperandis, quæ prudenter, ac iuste decernimus esse facienda: in bellicis autẽ peritia rerum militiarium, & potentia: interdum robur corporis, agilitas, velocitas; hæc igitur narranda, cum vel perfecisse actionem, vel propter defectum illi obfuisse cognoscetur. Primum autem Rex ne fuerit, an optimatium status, vel multitudinis, vel alia species, & forma Principatus; vt is qui legit suam cum illo Agente similitudinem, dissimilitudinemq́; possit intelligere: præcipue autem potentia in rebus bellicis describenda est, quod imperium, quos populos, milites, pecuniam, arma, commeatus, amicos, amorem, odiumuè subditorum, aliorumq́; Principum habuerit: Non tamen quibus adminiculis, vel medijs vsus sit in illa actione, nam hæc explicanda sunt in ea parte Historiæ, quæ ad Instrumenta describenda pertinet. His autem addenda si quæ sunt reliqua, quæ iuuare possint, vel impedire actionem, potentemq́;, vel imbecillem agentem efficere. Quæ verò extra rem sunt, vt plerumq́; mores quidam animi, habitus corporis, & horum similia manifestum est opus esse, alijs describenda relinquere, vt ijs, qui phisiognomica scribunt, vel laudes: nam Historico vtilitatem tantum legentis hoc est prudentiam propositam esse decet: iam enim dictum est non omnia, esse tradenda posteris ab Historico quæ in Agente reperiuntur.

Ex his fertur iudicium de Historias.

TVcidides itaq́; cum bellum inter Lacedemonios, & Athenienses describat, nullam tamen illorum pop. cognitionem tradit, superuacaneum fortasse existimans clarissimarum ea tempestate vrbium notitiam exhiberẽ, in quo falsus est, nam Historici non suæ tantum ætatis hominibus, sed multo magis Tucid.

posteritati scribunt ea; vero est rerum humanarum conditio, vt nulla diu in eodem statu permaneat: & quidem Lacedæmonij nullo modo descripti, nec quo ad Reipublicæ formam, nec quo ad vires; Athenienses vero aliqua ratione; nam primo lib. quid post Persicum bellum in Græcia gesserint commemorat, verum quas opes, ac potentiam haberent prætermittit: Eadem negli-

Liuius. *gentia vsus est Liuius; bellum enim inter Romanos, Carthaginensesq; describens nullum verbum facit de Rep. Carthaginensi, eiusuè imperio, & viribus; quemadmodum nec Romana valde ex illius historia nota est; itaut in hoc summam Dyoni-*

Dyonis. *sio Halicarnasseo gratiam debeamus, qui formã illius Reip. sane diligenter nos docuit: quemadmodum, & Polybius, quod*

Polyb. *pertinet ad Romanos, nam etsi bellum cum Carthaginensibus describit, de illorum tamen Reip. forma, uiribus, ac potentia nullum verbũ neq; etiam ipse facit; quin Rom. Reip. cognitionẽ tradit alienissimo loco, nam Agentis cognitio exhibenda est in initio; ille vero in sextum librũ reiecit; vbi non minus se Philosophũ docentẽ, vt sæpe alibi, quam Historicum profitetur; verè enim vniuersa illa tractatio scientifica potius, quã Historica censenda est: Miror autem oculatissimum Actorem & scriptorem C. Cesarem in Commentarijs eadem vsum esse ratione,*

C. Cæs. *nam de moribus Gallorum, Germanorumq;, tum demum disserit, cum multa vtriusq; pop. bella narrauerit; quapropter cognitio illa vel superflua est, si absq; ea Agentes prænarratorum bellorum cogniti sunt; vel alieno loco adhibita, si omnino necessaria videatur; nisi forte dicatur Gallorum aliquam ab initio narrationis cognitionem tradidisse, dum Galliam describit, ac tres in partes diuidit, quæ tamen sane leuis cognitio est: virum autem Germanorum, Gallorumq; mores describens fi-*

Lib. 4. de bello gallico. *nibus Historicis sese continuerit, satis dubitare possumus; verè enim multa recenset, quæ absq; detrimento Historicæ narrationis prætermitti poterant. Verum quoniam breuiter id facit, & multa cum, ac dignitate, vt suorum ciuium desiderio*

indul-

indulgeret, qui eorum populorum vix fama Romæ cognitorum ab illo notitiã exposcebant; qui & loca vidisset, & gentes debellasset; censurã facile depræcatur: Tamen cum de se ipso nihil dicat, præcipuus agẽs ignotus semper in eius Historia videtur, præsertim cum de pop. Rom. cuius Minister erat; nec verbũ quidem vnquam faciat. Xenophon quoq; ordinem præuertit, nam etsi suo loco Artaxersis cognitionem tradit in expeditione, Cyrum tamen ex altera parte Agentem non nisi post obitum describit: quæ descriptio elogium potius, quam explicatio Historica est. Eandem reprehensionem subterfugere non potest Cor. Tacitus, cum facta Tyberij hoc est Romani Principis describat, complura q; bella recenseat, antequam Rom. Imperij vires, opesq; ostendat; id enim multo post exequitur; opportune tamen, & suo loco eadem narrat in alta parte Historiarum, nam antequam de Galba quicquam commemoret: Cæterum, *inquit,* antequam destinata componam, repetendum videtur qualis status vrbis, quæ mens exercituum, quis habitus prouinciarum, quid in toto orbe terrarum, validũ, quid ægrum fuerit: *omnino verò optimum quod adiungit, ac sumopere commendandum:* Vt non modo casus, euentusq; rerum, qui plerumq; fortuiti sunt; sed ratio etiam, causæq; noscantur, *eadem ratione vsus est ex recentioribus Guicciardinus nam à bello Neapolitano exorsus, quod cum Alphonso Rege Galli gesserunt, Italiæ tunc temporis statum, & Gallici Regni egregie describit; quæ tamen de habitu corporis Caroli viij. commemorat, forte melius prætermittere potuisset, tamquam non Historica; Illud quoq; reprehensione non vacat, quod plura Heluetiorum facta recenset, antequam illorum cognitionem tradat; quod vix lib. x. facit, idq; nimis breuiter, ac parce; nam fortes eos esse tantummodo dicit; sed quæ Reip. forma, quæ vires, omnino prætermittit, fortasse ea ductus ratione, quod bella suo nomine non gerebant, sed Agentibus primis inseruibant: Paulus Iouius easdem res gestas memoriæ traditurus,*

Xenoph.

Tacitus.

Lib. 1. historiæ.

Guicciardinus.

Lib. 1.

Iouius.

omnes sua tempestatis Principatus describit, in quo tamen ambitiosam, ac minime grauem curiositatem ostentat; & verè scriptor hic quemadmodum & Q. Curtius ad pompam, & vaniloquentiam ostentandam Historias composuisse videtur, ob id vanissimæ sunt eius descriptiones, quibus sæpenumero multorum tùm Principum, tùm Imperatorum formam, habitumq; corporis inaniter describit, quod & Paulus Emilius Veronensis facit. At verò exactissima omnium, ac vndequaq; absoluta est Agentis descriptio apud Salustium in Coniuratione, & digna quam omnes Historici imitentur, nam ea est huiusmodi, vt non modo agentis, qua Historicum decet, cognitio tradatur; sed ex eadem oriatur quoq; notitia appetitus finis, quemadmodum suo loco dicetur: Non illaudabiliter pari modo eadem exhibetur cognitio in bello Iugurtino, nam etsi nihil de Romanis dicit quorum certe notitia danda erat; Iugurta optime, atque Historice describitur: Hunc autorem in describendo Annibale satis faeliciter æmulatus est Liuius: At verò descriptio Syllæ in eodem bello Iugurtino suo loco posita non est; nam diligens, atq; exacta cognitio traditur de Agentibus principalibus; Sylla verò in eo bello minister est, de illo tamen multa dicuntur ad actiones quas in bello Iugurtino fecit, minime pertinentia: propterea melius eam descriptionem reiecisset in Historiam quam de bello Mitridatico composuit, in eo enim primas partes egit. In Iugurtino tamen bello si ea, quæ de rebus in adolescentia & iuuentute gestis à Iugurta dicit breuius cõmemorasset, Historię narrationi, melius cõsuluisset; verè enim in illis describendis prolixior est, quam necesse videtur. Philippus autẽ Comineus tamquam notissimorum Principum res gestas commemorans notitiam tùm Ludouici xi. tùm Caroli Burgandionis prætermittit; quasi præsentibus tantum non posteris quoq; scriberet; propterea q; initium sui operis sumit ab explicatione causarum ob quas bella inter illos excitum est: quin cum ex parte Caroli multi Principes Galli fuerint, qui se propter publicam vtilitatem

Paul. Emil. Veron.

Salustius

De bello Iugurt.

Liuius.

Philipp' Comin.

tem arma sumpsisse profiterentur, adeò negligenter in eorum cognitione tradenda versatur, vt neq; qui essent, neq, quas vires haberent intelligatur; ac ob id magna Historiæ pars illa obscuritate laborat: Qui autem elogia virorum in Historijs adhibent, post eorum occasum; vt mos ist Xenophonti, Diodoro, necnon Liuio, Tacito, Iouio, Guicciardino, multisq; alijs fama celeberrimis Historicis, omnino reprehensione non vacant; non modo quia multa complectuntur ad Oratoriam artem, siue Poesim magis pertinentia quam ad Historiam; sed etiam quia alieno loco Agentis cognitionem tradunt: Appianus Alexandrinus partim bene, partim negligenter in hac parte se gessit, nam in proemio totius operis, etsi alieno loco Principatum, Potentiamq; Romanorum describit, in eo tamen illud animaduertendum, quod supra diximus; nam eorum notitiam tradit tempore Adriani Imperatoris, cum illa notitia nihil conferat ad ea, quæ de bello Ciuili, Cartaginensi, Mitridatico, Illyrico, alijsuè commemorantur; nam sicut tempora diuersa sunt, ita forma Principatus, & potentia: vt autem ad Historias particulares veniamus, in bello Cartaginensi, nec Romani, nec ipsi Cartaginenses vllo modo descripti; In bello autem Antiochi, vel potius Syriaco, nam ipse non bellum tantum, cum eo Rege gestum se scribere profitetur, sed quo pacto Romani Syriam deuicerint, in Prouinciaq; formam redegerint; vnde falsa est illa inscriptio; Verum in eo bello, quod pertinet ad Antiocum sanè non pessime eius notitia traditur, de Romanis tamen nihil. In Historia quoq; belli Parthici de Romanis nullum verbum, sed neque etiam de Parthis, nec qua gens esset, qui Principatus, quæ potentia: At in bello Mitridatico Agentem illum laudabiliter describit, nam & vires eius, & Amicos, & affines, & confœderatos diligenter satis enarrat. Appian. Alex.

De

De Fine. Cap. XXIII.

Finis ab Historico explicandus est, tum quia actio tota eius gratia peragitur, tum vero, vt lector, qui vtilitatem percepturus est similitudinem narrati finis cum eo, quem sibi proponit cognoscere queat: paucis autem, vt plurimum explicari posse videtur; nam in bellicis finis est, vel vltio propriarum iniuriarum, vel sociorum, vel amplificatio Imperij, vel sui iuris vindicatio, vel auiditas gloriae, & huiusmodi: in Ciuilibus autem vel pax publica, vel morum melior institutio, vel scelerum supplicia, vel Annonae vilitas, & similia: quae omnia haud multis uerbis indigent. Illud autem in hac re plurimam habet difficultatem, quod agnoscere oportet verum finem: nam plerumq; speciosa nomina obtenduntur, vt veri finis turpitudo hominum cognitionē effugiat; ob eamq; rem fines, qui vulgo iactantur saepius effictí sunt: difficultas est praeterea in distinctione recta finis, principij, occasionis, nā in re hac fere omnes Historici decepti sunt. Dico igitur finem actionū electiuarū esse causam immediatam, & quoniam principiū saepe accipitur pro causa, finis & causa, & principium vocari potest, verum ne fiat aequiuocatio, melius est finem appellare causam, initium autem actionis vocare principium, quod à causa longe differt, ea enim prima quidem est in animo, sed vltima in operatione, principium vero cum initium fit actionis necessario praecedit. At occasio ipsa quoq; causa videtur; sed per accidens & quam logici appellant, sine qua non, eo quod ipsa agentem primo, ac per se non moueat ad operandum, sine illa tamen agens, vel nunquam, vel non eo tempore, aut loco operaretur; nam quod per se causa non sit facile probatur; non enim est forma operationis, cum operationis cuiusq; forma sit ipsamet operatio: non materia cum praexistat occasioni: non efficiens, id enim est agens; non finis, nam is est, quod in actione vltimum sit, occasio verò antecedit operatio-

Causa, Prīcipiū Finis, occasio.

rationem; & propter finem instituitur, ac perficitur operatio, non autem propter occasionem; non est etiam principium, siue initium actionis; nam occasio illud præcedit, ac forte illius causa est, tali tempore, siue loco; sed videtur accidens quodam fortuitum, nullam vim ad illius existentiam conferente agentis prudentia, vel consilio; quod accidens cum actionem faciliorem reddat, agentis electionem ad illam inchoandam impellit. Occasio quid.

Est autem vt duplex motus agentis, ita duplex occasio; primus motus est quo finem expetit, alter quo actionem propter finem inchoat: igitur non minus offeruntur occasiones appetendi finem, quam inchoandi operationem, quod manifestum est, nam si quid nobis obijciatur ex se bonum, cohibetur interdum cupiditas propter difficultatem obtinendi; quod si quid accidat, quo facilior videatur illius acquisitio, fræna laxantur: & quidem in hoc præcipue videtur constituta occasionis natura, atq; essentia; vt scilicet faciliorem reddat operationem: videre autem si quid aliud vocari possit occasio præter id, quod diximus, ad hanc Artem non spectat: Satis est illud ostendisse occasionem esse causam per accidens appetitionis finis, vel initij operationis, quam à fine, & à principio, & à causa distinguere oportet. Duplex occasio.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

H*Aec igitur omnia dilucide apparent in Coniuratione Catilinaria, finis enim est occupatio libertatis;* Hunc, *inquit Salustius*, post dominationem Syllæ, libido maxima inuaserat Reip. capiendæ, *occasio verò appetendi finem, Ciuitatis corrupti mores, & numerus sociorum, quos in perdita Ciuitate sibi comparauerat,* His enim, *inquit*, socijs confisus Catilina, simul quod æs alienum per omnes terras ingens erat, & quod plerîq; Syllani milites largius suo vsi, rapinarum, & victoriæ veteris memores ciuile bellum appetebant, opprimendæ Reip. consilium cœpit; Salustius

occasio

occasio coniurandi, vel aggrediendi facinus, illud potissimum quod in Italia nullus exercitus & alia multa quæ optime ab illo Historico explicantur: Hæc tamen interrupte, ac partim alieno loco, ijs enim admiscet apparatum instrumentorum, dispositionem materiæ, siue subiecti, vt diligentius ostendere possemus, si censuram Historicorum potius, quàm artem Historicam hoc opere elaboraremus. In Iugurtino, Romanorum finis vltio mortui Hyempsalis, & regni ablati Atherbali, vel verius animaduersio in Iugurtam, quod contumax aduersus populi Rom. iussa fuisset; is tamen non bene explicatus, ac de occasione nullum verbum. Tucid. *At verò in Historia Tucididis intelligitur quo modo veri fines ab Historico perscrutandi sint; nam cum multas afferat causas belli, quod cum Athenienfibus Lacedemonij gessere, quæ causæ vulgò iactabantur, ipse veram causam, verumuè finem fuisse ostendit depressionem Atheniensium; nam Lacedemonij prosperitate illorum commoti in suspicionem venerunt, ne ab ijsdem Græciæ Principatus occuparetur; propterea sibi obuiam eundem esse existimauerunt: reliqua per se facile quisq; intelliget in eo autore: Hanc finium discussionem* Guicciardinus. *Guicciardinus sæpe diligēter facit, ac forte melius, quam alius Historicus, nam cum plerumq; à Principibus, siue actionum autoribus falsi obtendātur, ipse curiose admodum, atq; prudenter* Tacitus. *veros inquirit; in eo forte Taciti laudē æmulatus, nam is quoq; & qui vulgò iactantur, & qui à prudentioribus veri habentur accurate satis exponit; tamen cum omnia, vt plurimum in peiorem partem detorqueat, stomacum fortasse probis lectoribus* Cæsar. *moueat. In Commentarijs Maximi Cæsaris non bene finis explicatur, imò in bello Gallico omnino minime appositus; in bello autem Ciuili perobscure, nec suo loco, nam sparsim in narratione ostendit ad propulsandas inimicorum iniurias bellum illud necessario suscepisse, vel vt potestatem Tribunitiam à paucorum Tyrannide appressam in libertatem vendicaret. Heluetiorum tamen bellum scripturus causam ex parte illorum expli-*

explicat, prolatationem scilicet finium, nam ex parte Rom. fuit propulsatio eorum à finibus Galliæ: omnino autem in hoc plerumq. deficiunt Historici; nam vel de fine, qua est vera actionum causa nihil dicunt, vel non suo loco, qui est post cognitionem Agentium. Causa propter quam Alexander Macedo aduersus Persas expeditionem suscepit, adeptio Victoriæ de Dario, & Persis fuit, ad quam appetendam eum Imperij cupiditas, vel potius libido gloriæ impulerunt; At vero reditus Xenophontis, occasio potius appetitionis victoriæ de Dario; nam à more quidem & habitu animi, Regni, atq. laudis cupiditas oriebatur; at verò quod ita affectus animum ad prædictam expeditionem applicarit, occasionem præbuit reditus Xenophontis, nam is facilem victoriam promisit: In eo igitur falsus est Polybius, qui belli huius causam fuisse existimat reditum Xenophontis: miror autem hunc Historicum tantopere laborare in confutandis eorum opinionibus, qui belli Punici, quod Carthaginenses cum Romanis Duce Annibale gesserunt, causam Saguntii expugnationem esse arbitrantur: nam manifestum est ex parte quidem Carthaginensium fuisse vltionem de Romanis ob ereptam Sardiniam, vel militarem gloriam; ex parte autem Romanorum nullam esse quærendam aliam, quam patriæ libertatis defensionem, non enim bellum intulerunt, sed propulsarunt. In bello autem Punico primo non indiligenter ab eodem Polybio descriptus, satis enim constat finem esse expulsionem Carthaginensium ab Insulæ Siciliæ dominatu, & is quidem proximus; posterior vero ne illorum vires longius prouehere ntur, itaut Romanis iure timendum esset; occasio verò, quam laudabiliter idem autor explicat; est Mamertinorum bellum cum Syracusanis, ac eorum defensio aduersus Carthaginenses. Hos itaq. terminos finem scilicet vel causam, & occasionem Polybius agnouit, nam & de ijs, & de principio multa differit; differentiamq. magnam esse inter illos ostendit: at verò dum dicit indignationem Hamilcaris contra Romanos, tùm vero ca-

Polyb.

Lib. 3.

Lib. 3.

piam Sardiniam, & soluta talenta, ex quo Carthaginensium quoq; coborta est indignatio, in qua nutritus est Annibal, causam fuisse Punici belli secundi, egregie deceptus est, nec intellexit causam actionum primam, atq; immediatam, & qua cognita intellectus quiescit esse finem; at vero finem illius belli si quis indignationem vel Hamilcaris, vel Carthaginensium fuisse, merito risum moueat. Quapropter Polybius qui dum Historiam scribit Artem Historicam sæpe tradere profitetur inter finem, & causam appetitus finis distinguere nesciuit, id enim si sciuisset indignationem illam non causam belli Punici secundi, sed stimulum appetendi finem esse cognouisset. Iose- Ioseph. *phus autem cum tot verba deuoluat in bello Iudaico enarrando* Polyb. *nullam de causa, & fine illius mentionem facit, vel adeo perobscure vt diuinandum sit potius, quam agnoscere possibile, & omnino in hac parte negligentissimus est; ex recentioribus* Comin. *Comineus, & Guicciardinus finem, causamue belli Neapolita-* Guicc. *ni egregie describunt, etsi aliqua sit inter eos differentia; Comineus tamen in alio bello cum bonum publicum finem dicat fuisse, ob quem Carolus, & alij Principes contra Ludouicum xi. arma tulerunt, non tamen explicat, quæ contra bonum publicum Ludouicus faceret; ob id imperfecta est illa notitia: Non displicet Cæsar Campana, is enim causas belli Belgici in ea Historia exactissime describit; credo autem sæpe veras causas, atq; vulgo abditas illum latuisse, vel detegere noluisse: propterea etsi in hac quoq; parte explicanda diligens est; Guicciardinus tamen eo liberior, acutior, magisq; fœlix videtur.*

De causa appetitus finis. Cap. XXIV.

N*Aturalis causa, & per se cur finis expectatur est bonitas cognita, hæc enim animi cognoscentis appetitum suapte natura ad se trahit, idq; videtur boni, vel essentiale, vel maxime*

me proprium. Cognoscitur autem bonitas vel per se ab eo qui finem expetit, vel ope admonentis, consilium dantis, persuadentis qui veram in fine bonitatem ostendit, vel fingit, fallacibusq; argumentis demonstrat: est autem ratio boni triplex, vt sapientiores existimant, quibus in præsentia assentiendum, Honestas, Iucunditas, Vtilitas. Quapropter necesse est horum aliquid ad se appetitum rapere. Qui leges imponunt, probisq; Ciuitatem moribus instituunt honestatis gratia laborant; qui mittit duram in militiam maritos, vt vxoribus fruatur, inhiat voluptati; qui serit inter Ciues discordiam, ærarium implet pecunijs Ciuium; mulieribus miscetur alienis, vt consilia virorum agnoscat, pro fine vtilitatem habet. Hæc in pacis regimine; Bellantium autem quibus tutela patriæ, ac sociorum proponitur, honestas finis est, & multo magis ijs qui pro Religione militāt. Qui raptantur libidine mulierum, vel deliciarum, vel forte etiam gloriæ, ac laudis iucunditati indulgent, qui vt proferat imperij fines, alienisq; potiatur opibus militiam exercet ad vtilitatem contendit. Ex parte finis hæ sunt causæ; accidit autem interdum non esse verè in fine has boni species, neq; ab alio qui persuadere velit affingi, sed inesse videri propter quandam animi affectionem, nam aliter de rebus amans iudicat, & inuidens; hoc ex ijs, quæ dicuntur à Rhetoribus manifestū est, itaut facile constare possit, affectus, moresq; animi causas esse interdum, cur aliqua expetantur: propterea qui persuadere nituntur ostendunt vel veri, vel falsi boni speciem aliquam in fine, sin vero id se efficere posse diffidant ad animi commotionem confugiunt; sperant enim (vt dicetur in Rhetoricis) facilius posse quod volunt bonum, in fine persuadendo demonstrare postquam affectus quosdam induxerint in audientis animum, vel eduxerint, atq; extraxerint. Igitur causa apetitus finis duplex est, alia ratione finis, alia vero appetentis, & vtraq; vel in rebus existens, vel inducta à persuadentibus. Hæc itaq; summa diligentia perquirenda, ac distinguenda sunt ne pro causa ex

Vsus affectu um in Arte oratoria

Causa appetitus finis duplex.

N 2 parte

parte finis illam narret Historicus, quæ est in appetente, vel è conuerso. Oritur tamen hic non leuis dubitatio, quam soluere oportet: ea est huiusmodi: duas Historiæ partes fecimus finem, & illius appetitus causam. Videtur autem id falsum, hac ratione: finis non est finis nisi appetitum moueat, est enim causa; nihil autem est causa nisi quod efficit aliquid: effectus autem finis est motus appetitionis, & quasi raptus ad se: propterea tunc est finis cum expetitur: finis igitur ipse est causa appetitus non aliquid præter illum: quare frustra rationem huius motus à fine distinximus. Huic dubitationi ita respondetur; negari non potest, bonitatem finis esse per se appetitionis causam; verum quia sæpe eadem, vel minime inest, vel efficax non est nisi affectus, aut mores Agentis inesse persuadeant, Iudiciumq́ turbent; propterea tunc non finis bonitatem, sed Agentis affectionem appetitus causam dicimus. Signum huius est, quod eadem cognoscitur aliquando in fine bonitas, nec tamen expetitur nisi affectu aliquo commotus Agens impellatur ad expetendam, & cum sit illa immediata causa, vt Logici docent, qua posita ponitur effectus, & ablata aufertur; non finis bonitas appetitus causa dicenda est, sed Agentis dispositio. Hæc quidem prima responsio, alia est huiusmodi: finis duas habet partes, materialem vnam, formalem aliam formalem voco rationem appetitionis, quæ est ipsa bonitas, siue bonitatis ratio, materialem autem id quod habet bonitatem; pugnat aliquis aduersus hostes; finis quidem Victoria est, ea tamen multis de causis expetitur, nam alij Victoriam volunt, vt late imperitent, alij vt gloriam consequantur, alij vt iniurias vlciscantur. Igitur Victoria finis est materialiter, rationes autem illæ sunt formaliter finis, idest causa cur finis appetatur. Dicet autem aliquis, finis est, cuius gratia, & quatenus talis alterius gratia esse non potest, nam finis non esset: facilis ad hoc responsio: si id cuius gratia, esset quid à fine distinctum, verè finis non esset finis, at id est forma finis, vt dixi, propterea non sequitur absurdum: ob has

Dubitatio. Solutio. Alia dubitatio.

igitur

igitur rationes non incongruum esse videtur à fine causam appetitionis distinxisse.

Da causa materiali. Cap. XXV.

MAteria, siue subiectum actionum earum, quas in Historia narrandas esse diximus; moralium quidem, siue priuatarum anima est eius, qui agit; vel is, ad quem operationem moralem dirigit, oportet enim dicere moralem prudentiam, siue priuatam, non tantum ad se ipsum hominem perficere, sed ad alios quoq; in rebus priuatis; docet enim non modo temperantiam, affectuumq; moderationem, sed liberalitatem, ac iustitiam, quæ ad alios sunt: œconomicarum verò subiectum est familia, ciuilium Ciues, militarium hostes, loquemur autem de his duobus, nam earum cognitione cæteris satisfaciemus. Igitur scripturus ciuilem actionem, qui, qualesnè Ciues sint describere debet, nam qui ad illud exemplum moderaturus est actiones suas longè aberrabit, si eadem in subiecto diuerso, vel contrario conetur efficere. Hoc ita ab omnibus probatur, vt difficultatem non habeat, nam hi etiam qui de Repub. scripserunt mores populorum, quibus imponendæ sunt leges, & qui regendi sunt, esse cognoscendos tradiderunt, vt moderamen, atq; imperium ingenio illorum accomodetur. Propterea cum à Ciuili Viro non omnes vna ratione regi debeant, sed necessarium sit cognoscere ingenia subditorum, manifestum est non posse eum, qui vtilitatem ex Historia percepturus sit, rectæ operationis rationem addiscere nisi subiectum quoq; narratæ actionis cognoscat. Pulchrum huius rei exemplum extat in vita Alcibiadis apud Plutarcum; Alios, inquit, esse Romanorum mores, alios Athenensium; manifestum est; nam Athenis dum concionaretur Alcibiades omisso è sinu volucre, statim concio ludibunde ad eum capiendum cucurrit, & Alcibiadi restituit; quod apud Romanos capitale fuisset; tamquam spretæ

Prudētia siue Virtus non tantū ad se est, sed ad alios.

maiestatis crimen. Romæ Cato Maior in Censura petenda, ita ciuibus interminatus est, vt facile optimo cuiq; nedum pessimis potuisset summum incutere timorem si Censuram assecutus esset; omnes tamen ordines, & Centuriæ Censorem illum renunciauerunt, quod Athenis nequaquam contigisset: quapropter nisi idem sit subiectum eadem agendi ratio minime seruanda est. Vtrum verò idem sit, an non cognosci ex Historia minime poterit, nisi describatur. Cognoscendum est igitur subiectum, idest Ciues: at quatenus id oporteat videndum est, non enim fortè qualibet, & exacta cognitio postulatur, nam etsi faber in elaborando calybe, vel ferro versatur, non tamen definitionem, & accidentia illius omnia nosse debet; sicut neq; Medicus corporis humani, neq; animæ ciuilis philosophus. Quapropter sic dicendum videtur, cognoscendi sunt Ciues, vt qua ratione sint regendi, & qua pati possint imperium intelligatur; idest quomodo suapte natura dispositi sint ad excipiendam, vel detractandam operationem imperantis; hæc autē recipitur obedientia; quæ ciuibus inest vel natura, quod placidi sint ingenio, imbellesuè, ac timidi, & ad seruiendum parati; vel ratione, quod ita faciendum esse intelligant, vel vsu aßuetudineq;, vel vi, ac necessitate. Inobedientes autem sunt, vel ijs deficientibus causis, vel contrarijs etiam inexistentibus. Ciuium igitur, in quos peracta est actio, quæ narratur cognoscere, atq; explicare naturam, moresq;, atq; huiusmodi alia accidentia oportet, quorum effectus est obedientia, vel inobedientia. Quæ cum describenda sunt ab eo, qui actionem vnam sumit, tum vero etiam ab illo, qui vnius Principatus omnes actiones narrat, vel vniuersalem Historiam componit; diuerso tamen modo; nam qui vnam actionem scribit, simul omnia eum dicere oportet, ac suo loco inserere, vbi scilicet tradenda est cognitio subiecti; at vero vniuersalium Historiarum Scriptor animi quidem naturalem habitudinem vno loco declarare debet, quæ vna eademq; semper est; mores autem non vno loco, & simul, sed quo tempore eos esse

Ciuium quaten⁹ tradenda cognitio in Hist.

se

se inductos contigerit; hi enim non simul, sed paulatim instituuntur, vt verbigratia de moribus atq; institutis pop. Romani manifestum est. Nunc autem de materia militarium actionum qui hostes sunt. In hos inducendus est agentium finis, hæc autem est Victoria, contra quam hostes nituntur: propterea cognoscendum est numerus, robur, fortitudo, ars militaris, & huiusmodi, quibus hostes hostibus repugnat. Dubitari autem potest an sit necessarium cuncta hostium prosequi, quemadmodum agentis, cuius operatio describitur consilia scilicet, apparatus, instrumenta, & huiusmodi, nam vt hæc videtur necessaria imperatori, qui debet in eo plurimum laborare, vt hostium consilia, viresq; cognoscat, ita quoq; ab Historico fortasse non reticenda. Respondeo finem Historiæ illud esse, vt qui legit rationem agnoscat qua suam peregit operationem is, cuius facta commemorantur; quæcumq; igitur in illa ratione includuntur ea narranda sunt; quapropter si quis consilia hostium præueniens consecutus est de illis victoriam, manifestum est narranda esse, quæ, qualiaq; illorum consilia extiterint: si autem nihil agenti profuit illorum cognitio, vel obfuit ignorantia, itaut vnica actio militaris hoc est pugna tantam Victoriam pepererit, de consilijs hostium esse sollicitum minime oportet: propterea cum & finis illorum, & appetitus finis, & apparatus instrumentorum, multaq; huiusmodi nihil ad actionem agentis pertineant, cuius facta narrantur, ea minime scribere necesse est; nam cum ratio agendi vnius tantum tradenda monumentis suscipiatur, non est necesse aliorum in quos agit, rationem describere, hoc enim esset duorum agentium, non vnius agendi rationem explicare: Quapropter ea tantum de hostibus narranda videtur, quæ vel obstiterunt vel propter defectum agenti, ac victori obsistere non potuerunt, & quæ Imperatori cognoscenda sunt, vt recte agat, vel quæ ab eo non agnita in causa fuere, vt aberraret, ac decideret à fine suæ operationis. Habet autem non incuriosam dubitationem an liceat; si forte aliquis velit; ambo-

Vtrũ sit necessaria oĩa describere in actione militaria verbigratia, q̃ ad vtramq; partẽ pertinent.

rum agentium operandi rationem describere, atq; in eadem Historia illam collocare; itaut si bellum quis Romanorum cum Carthagensibus exponat, possit non tantum qua ratione illud Romani administrarint, sed etiam qua vsi sunt ipsi Carthaginenses ostendere; à fine igitur nulla videtur deduci posse ratio, quæ id prohibeat, nam cum sit prudentia, hac autem per narrationes actionũ; fiat magis ex ea videtur fieri posse, qua plures actiones complectatur, quam quæ vnam tantummodo, vel vnius agentis: tamen qui Historiam eo modo componere voluerint quo esse componendam dictum est, ac vlterius dicetur: omnia illis afferenda sunt; atq; comoranda de agentibus, ac de actione quæ supra diximus; hęc autem satis perplexa, obscuraq;, atq; intellectu, vel saltem memoratu difficilia euadere necesse est; quod si quis id efficere possit absq; intellectionis difficultate, absurdum minime videtur. Imo hoc animaduertendum est ijs, qui vniuersales Historias totius orbis, vel omnium temporum, vel suorum tantummodo componunt; necessarium esse non minus agentis vnius, quam alterius rationem agendi exponere, nam æque ab vtrisq; actio effecta est, ipsi autem non vnius agentis, sed hanc, vel has statuti temporis actiones describere volunt. Qui autem vnius agentis facta commemorat de hostibus non nisi quam diximus cognitionem tradere debet. Multum enim interest vtrum quis velit scribere bellum Punicum, an verò scribere bellum quod cum Carthaginensibus Romani gessere, nam primus actionem ipsam absolute, & simpliciter vult memorię mandare, quæ cum nihilo magis Romanorũ sit, quam Carthaginensium; ambo enim agentes extiterunt; non de Romanis tantum, sed de Carthaginensibus quoq; tradenda ea cognitio est, quæ videtur Historiæ necessaria, propterea eadem de illis commemoranda sunt, quæ de Romanis. Qui autem dicit velle se bellum describere, quod Romani cum Cartaginensibus gesserunt, & prætere qui res Romanas describunt ijs de Carthaginensibus nihil afferendum præter illa, quæ superius diximus,

Præceptũ ijs q. vniuersales Historias describunt.

diximus, quot milites, qualesq́, quibus instrumentis vsi sint, & cetera ad artem militarem pertinentia. Vtrum autem accipere oporteat actionem simpliciter, an verò ut ab vno tantum effecta, nullam videtur habere dubitationem, vtrumq́ enim fieri posse iam diximus, licet videatur facilius, clariusq́ explicari posse actio sumpta quatenus ab vno effecta, quam simpliciter Hinc fit eiusdē actionis duplicem Historiam posse componi, cum duæ fuerint agendi rationes, duorum scilicet agentium, licet in multis eas conuenire necessario oporteat.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

IN coniuratione igitur Salustiana subiectum in quod actio descripta, vel acta est, vel agi debebat, est pop. Rom. cuius qualitates optime describuntur, nisi forte quod longius exordium petitur, quam necesse videatur uiris non desidibus. Res ipsa, *inquit*, hortari videtur, quoniam de moribus Ciuitatis tempus admonuit, supra repetere, & paucis instituta maiorum domi, militiæq; quomodo Remp. habuerint, quantumq; reliquerint, & vt paulatim imutata, ex pulcherrima pessima, ac flagitiosissima facta sit differere: *quæ omnia longo, atq́ otioso labore persequitur; satis enim erat ostendisse reip. statum Coniurationis tempore; nam qualis fuisset, & quomodo immutati sint mores cognoscere vtile quidem Politico, qui corruptiones morum inde addisceret, non tamen necessarium, aut opportunum ei, qui Coniurationem Catilinæ lecturus sit, nam cuiuscumq́ actionis necesse est subiectum agnoscere quale fuerit, dum actio peracta est, notitia vero qualis vel ante, vel post actionem extiterit superuacanea. Cæterum multi, ac propemodum innumeri sunt Historici, quibus materiæ, aut subiecti descriptio cura minime fuit, quod in ijs maxime intelligitur, qui cum bella, pugnasq́ describunt, numerum hostium, qualitatesq́ dicere prætermittunt, quæ quoniam* Saluſt.

Iouius. *facile poteſt quiſq; in Hiſtorijs animaduertere, non eſt quod exemplis ea in re longius commoremur. In Paulo autem Iouio qui ſui temporis Hiſtorias compoſuit illud, quod diximus cenſura dignum videtur, nam cum actiones ſimpliciter nō ab vno agente factas commemorare debeat, ac propterea non minus quicquid ad vnum Agentem pertinet, quam quicquid ad alium, deſcribere; ipſe tamen cum res geſtas Turcarum contra Perſas deſcribat de Turcis multa diligenter proſequitur, de Perſis verò ſane quam pauca; niſi tamen in eo magis hunc Hiſtoricū defeciſſe dicamus, quod cum vniuerſales Hiſtorias componere profiteatur Italicas quidem actiones vberrime, ac Turcarum res geſtas plena Oratione deſcribit, cæterum de orbe nouo nihil fere; Hiſpanorum facta Iſabellæ, ac Ferdinandi temporibus magna, atque adeo omni celebratione digna ſilentio tranſigit; De Zecchelso Perſa multa cum Turcis, prætere a nihil; De Iſmaele pauca quędam vſq; ad Calderanam pugnam, vlterius nihil niſi obitum; nec minus abſurdum illud quod Clementem Septimum Pontificem, ac Carolum Quintum Imp. Bononiam perducit, de diſceſſu verò eorum adeo nihil, vt non multo poſt alter Romæ, alter verò non ſine lectorum admiratione in Germania legatur: Hac ratione poterit quiſq; ex ijs, quæ ſuperiori capite docuimus cęteros Hiſtoricos iudicare.*

De Conſilio. Cap. XXVI.

Conſilij quoq; narrationem eſſe partē Hiſtorię, ſuperius diximus cauſamq; attulimus, nam quod ita fiat actio, atq; ijs inſtrumentis in conſilio decernitur. Alia ratio. Lector Hiſtoriæ Prudentiam quærit, hoc eſt rectam rationem agendorum; nihil autem recte agi poteſt, præſertim graue, & difficile, niſi de eo conſilium prudenter ineatur: quare qui Prudentiam ex aliorum actibus adepturus eſt, non facta ſolummodo, ſed conſilia quoq; cognoſcere eum oportet. Præterea quemadmodum

dum

dum agnoscendum est vtrum actio sit prudens: ita etiam num prudens sit consilium. Potest autem duobus modis de eo ferri iudicium, ab euentu scilicet, & per considerationem rationum in illo allatarum: ab euentu iudicari nequit, nisi pœnitus cognoscatur quid consultò, quid fortuitò acciderit, vt laus, vel culpa fortunæ, vel consilio tribuatur. Rationes autem, quarum vi aliquid in consilio statutum est perpendi non possunt, si minus commemorentur. Necesse est itaq; diligenter consilium describere. Est autem consilium quæstio, quæstio autem est de ignoto: ignotum verò auxilio noti alicuius cognoscitur; quare ab notis ad ignota, vt in cæteris, ità in consilio progrediendum est. Notum quod in eo supponitur est finis actionis, ad quam recte efficiendum consilium initur; quæ autem quæruntur sunt media siue instrumenta, & rectus illorum vsus; hæc ex fine deducuntur, ac tum demum commendabile consilium habetur, quando illa recte inferuntur, inferri autem vnum ex alio non potest sine vi syllogistica; syllogismus omnis & principia habet, & conclusionem: Conclusio in consilio sunt, (quemadmodũ diximus) Instrumenta, & vsus eorum: Principium, finis actionis. Huius in consilio tradenda cognitio non est, nam suo loco illum explicare oportet, sed potius ratio deducendi ex fine media ad illum obtinendum. Decernitur enim aliquid esse faciendum, & quidem decernitur, quia videtur ad finem conducibile, non tamen hoc sufficit, nam cognoscendum est præterea cur vtile videatur, id autem fieri nequit, si eius quod in consilio statutum est vtilitas minime describatur, quæ vtilitas verè insit, vel consulentibus inesse videatur, vel etiam inesse fingatur. Propterea diligenter consilia describenda sunt, quæ præcipua pars est in Historia.

De consilio duobus modis iudicium fertur.

Quę quęrãtur in Consilio

Ex his iudicantur Historici.

Tucid. *TVcidides igitur in consiliis describendis negligentissimus est pauca enim omnino apponit: Imò in consilium de vniuersa actione ab eo suscepta, quod est bellum Atheniensium cum Peloponnesiacis, sane nulla ratione explicatum: Vnum apud illum autorem forte non illaudabiliter descriptum reperias in secunda Oratione Niciæ ad pop. Atheniensem, in ea enim ostenduntur quæ sint necessaria; & qua ratione tractandum sit bellum cum Syracusanis; Orationes quoq; habitæ ab Archidamo*

Lib. 1. *Rege, & ab Ephoro contra Athenienses in senatu Spartanorum aliqua ratione ad consilium pertinent, magis tamen sunt ad hortatoriæ. Ad consilium quoq; spectare videntur, quæ apud*

Hærod. *Herodotum Artabanus cum Xerse disserit plenaq; prudentiæ*

Lib. 7. *sunt. Verum quæ de visione per somnium, vana, & Græca, sed*

Appian. *tamen eo tempore forsitan credita. Appianus hac parte pœnitus caret, nullum enim apud illum neq; vniuersale, neq; par-*

Polyb. *ticulare consilium reperitur; nec diligentior Polybius, quemad-*

Diod. *modum nec Diodorus, qui tamen eo forte censuram depræcatur, quod ait;* Illorum singula nomina recensere, hu-

Lib. 12. ius Historiæ, succincta, ac stricta narratio non permittit *Iosephus quoq; eodem morbo laborat, nec multo commen-*

Ioseph.

Arianus. *dabilius se gerit Arrianus; quin Iulius quoq; Cæsar sæpe cõsilia*

C. Cæsar. *omittit; propterea plerumq; ait,* quid fieri velit, ostendit, *tum rem gestam commemorat silentio cõsilium prætermittens; quemadmodum de ratione belli gerendi in Gallia, vel cum Pompeo nihil omnino attingit, particularium tamẽ actionum nonnullorum consilia interdum describit grauia, & prudentiæ ple-*

Salust. *na, quemadmodũ tantum virum decebat; Salustius quoq; in hac parte negligens est nullum enim consilium describit, præsertim cum in Coniuratione conuocare faciat coniuratos à Catilina, quibus cum de patrando facinore consuluisse verisimile est, ipse*

tamen

tamen adhortationes tantum apponit, ait enim, Igitur circiter Kal. Iunij Lucio Cæsare, & C. fig. Coss. primo singulos appellat, hortari alios, alios tentare, opes suas, imparatam Remp. magna præmia coniurationis docere; *Ibi autem manifeste consilium omittit, vbi dicit*, cum Pisone, & Antonio Catilina circiter Nonis Decembris consilio communicato parabant in Capitolio Kal. Ianuarij l. Cottam, & Carium Torquatum Coss. interfecere, ipsi fascibus correptis Pisonem cum exercitu ad obtinendam Hetruriam mittere;ea re cognita rursus in Nonas Februarij consilium cædis trastulerunt; *consilium itaq; prætermittit, rem narrat, vbi illud quoq; animaduertendum est; qua ratione detectum sit consilium non explicari, & alio loco:* Vbi satis explorata sunt quæ voluit in vnum omnes conuocat, quibus maxima necessitudo, & plurimum audaciæ erat, & conuenerunt Senatorij ordinis: *& qui conuenerint ostendit, quid autem fecerint, quaue consilia inierint non dicit, imò in eius rei narratione vlterius non immoratur, sed ad alia transit; quod curiosis lectoribus considerandum est, eo enim loco interrupta narratio videtur, & aliqua, siue forte multa, iniuria temporum excidisse, omnino enim minime conueniunt, quæ ibi dicuntur; præsertim cũ ait,* De superiore coniuratione satis dictum; *de qua tamen nec verbum quidem, ita ut vniuersa illa narratio perobscura euadat. Dion. Cassius multa consilia describit, laudabiliter quidem præterquam quod Græco more vana multa inaniter admisceet, vt eloquentiam ostentet. In Liuio rara admodum reperias, propterea censuram in hac re subterfugere non potest. Rara quoq; apud Tacitum; multo plura apud Franciscum Guicciardinum, qui suis concionibus multa inserit commendabiliter, quemadmodum magna cum laude vniuersæ actionis consilium describit initio sui operis; illud scilicet quo Carolus octauus bellum Neapolitanum suscepit. Idem quoq; facit Iouius, verum*

Diõ Cassius.

Liuius.

Tacitus. Guicc.

Iouius.

verum suo more vaniloquenter: imò adeo descriptionis consiliorum vtilitatem se ignorasse profitetur, vt veniam petat, si Lib.39. *quando diligentius ea persecutus esse sibi videtur,* Scio, *inquit,* me aliquanto liberius, quam deceret, totius præsertim orbis gesta perscribentem in explicandis Principum consilijs ab instituta breuitate discessisse; sed certe boni mortales in hac publici doloris, & iam propinqui luctus causa longius prouecto facilem omnino veniam dabunt. *At verò inter Historicos vnum explicat Dyonisius Halicarnasseus, alterum verò Philippus Comineus tam bene, tam apte, tamq; laudabiliter, vt exemplum cæteris esse debeat,* Dyonis. Lib.4. *quo pacto inserere, atq; describere consilia oporteat. Dyonisius quidem rationem euertendi Tyranidem à Bruto, Collatino, cæterisq; initam describit; quod consilium, & suo loco appositum, & à reliquis partibus distinctum, & diligentissime narratum est; vbi etiam, & de futura forma Reip. post euersionem Ty-* Philipp' Comin. *rannidis. Apud Comineum verò egregie explicatum est consilium quod Leodienses inierunt aggrediendi Carolum Burgundionem, ac Ludouicum Regem: Non placet tamen quod idem Comineus quadam alia omittit consilia; nam illud, quod omnes Principes Galli inierunt post pugnam cum Ludouico Rege sanè prætermissum est; ait enim,* inierunt secundum consilium, in quo statutum est Lutetiam Parisiorum proficisci aduersus Ludouicum; *rationes tamen non addit; quemadmodum vt plurium in alijs quoq; consilys, quæ describit, negligenter præterit, & in eo præsertim quod initium est à Carolo, cæterisq; Principibus statim post eandem pugnam cum Ludouico; plures suam opinionem dixisse ait, quarum ipse conclusionem sumit, rationes silentio transit, cũ tamen subiungat Dominum de Contay multas, easq; pulcherrimas addidisse rationes; quam æquum erat describere: consilium quoq; Caroli viij. quo Regum Neapolitanum aggressus est explicat; verum de Alphonso, & Ferdinando nihil, nisi de moribus illorum multa,*

quæ

quæ nihil ad rem faciebant, nisi vt ostenderet bellum illud Dei impulsu, auxilioq; gestum esse quod facile creditur cum tam multi errores in re militari patrati sint à Victoribus.

De Instrumentis. Cap. XXVII.

DE Instrumentis primum cognoscendum est quæ sint, tum verò qualia, postremo quot. Igitur quoniam actiones quę in Historia narrantur præcipue sunt Ciuiles, ac Militares dicamus ciuilium actionum instrumenta esse leges, magistratus, pecuniam; militariũ milites, equos, arma, commeatus, & huiusmodi. Est itaq; Historico dicendum, quibus instrumentis agens vsus sit, huic autem rei, vt plurimum, nomine ipso satisfit; quod si Instrumentum ignotum videatur, maiore indiget explanatione; non modo enim leges tulisse Principem, dicere oportet, sed quas leges; neq; admotam manibus machinam, sed quam; præsertim si sit recenter inuenta, quod si nota videatur omnibus, forte non valde laborandũ, quod tamen aliquam habet dubitationem, nam Historia non vni tantum populo, aut ætati scribitur, sed pluribus; propterea potest instrumentum esse quidem agentibus ijs notum, qui eo vsi sunt, atq; etiam illius ætatis hominibus; verum exteris nationibus multo autem magis futurorum sęculorum gentibus ignotum: manifestum id in Romana Republica, nam dum Historici Deorum cultum, sacrosq; ritusquibus tunc tempore vtebantur describere omittunt; tamquam omnibus perspectos, qui ea tempestate Romæ præsertim degebant, obscuram, ne dicam ignotam eorum rationem nobis reliquere Hoc idem accidit multis alijs in rebus bellicis, & ciuilibus illius præclarissimæ Respublicę; quod si quis dicat omnia hæc ortum suum habere, ac propterea tunc esse describenda; ab vno autem cum descripta fuerint, prætermittenda esse ab alijs posterioribus; id non satisfacere videtur; non enim omnibus locis, sęculisuè scriptores omnes reperiuntur, multaq; nobis

Quæ sint cogno-scẽda de Instr.

bis ignota manent, propterea quod eorũ Auctorum labores, qui nobis illa patefaciebant, iniuria vel hominum, vel temporum interire: Hinc tanta apud posteros controuersia est de rebus non modò Romanis, sed multo magis aliarum gentium: id autem minime contingeret, si eas illorum temporum scriptores, vel tradidissent nobis, vel qui tradiderunt extarent. Igitur cum Historicus omnibus exhibere debeat Instrumentorum cognitionem, inter hos, autem multi, vel existant, vel futuri sint, qui ea ignorent, & si alij scriptores eorumdem instrumentorum notitiam tradiderunt, illa minime debet prætermittere; propterea quæ leges Princeps condiderit, quibus magistratibus vsus sit ostendere oportet, de magistratibus autem ea tradere, quæ necessaria videntur, quod scilicet munus eorum, quæ auctoritas. De bellicis verò Instrumentis quod quidem pertinet ad milites, quæ natura, quæ qualitas corporis, & animi; subditi, an peregrini, obedientes, an secus, & reliqua, quæ necessaria sunt militi ad bellandum, & illi propria quà miles: nam eas tãtummodo qualitates Instrumentorum explicare oportet, quæ ad actionem, cuius narratio instituta est pertinent: propterea cognoscere an miles, vel qui in magistratu est crispatos habeat crines, vel simum nasum, nihil id facit ad Historicam narrationem, in qua tantum, vt iam toties diximus, inserenda sunt ea quibus agens, vel finem adeptus est, vel ita impeditus, vt illum assequi non potuerit; idq; ob eam rem, vt lector quid in Instrumentis imitari, quid cauere oporteat intelligat: cætera verò ommittenda tamquam superuacanea: Numerus autem eorum vt necessarius est ad agendum, ita quoq; ad cognoscendum: nam si ijsdem quis vtatur instrumentis non tamen totidem, cæteris partibus manifestum est eundem finem minime assecuturum. Quoniam verò Instrumenta in consilio decernuntur, videndum est vtrum in eo explicanda sint an alio loco; potest autem videri percommodum in ipso consilio, cum enim sit necessarium in illo causam ostendere, ob quam illa, quæ statuuntur

Instrum. vtrũ explicanda sint i cõsilio an alio loco.

tur à principio quæstionis, illata, conclusaq; sint; hoc autem fieri non possit nisi aptitudo ad finem vel vera, vel credita in illis cognoscatur; sit autem aptitudo ad finem tota instrumentorum natura; satis constat consilia rectè explicari non posse, nisi eorum cognitio in consilijs tradatur. Verum quia multa summopere ad prudentiam conferentia, veluti præcipue rationes, quibus conclusiones inferuntur, in consilijs describenda sunt, ob idq; illa pars ab alijs disiungenda. & diligenter tractanda est; consultius faciet Historicus, si instrumentorum descriptionem in eam partem reijciat, in qua eorum vsum explicare debet, quod fit in ipsa actione narranda; hoc enim pacto pars, quæ consilia complectitur, & minus implicata, & magis clara euadet: Propterea sat est in cõsilio dixisse statutum esse fieri põtem ad exercitum transducendum; qualis verò ille pons fuerit tunc commodius explicabitur, cum iam sternitur, atq; exædificatur: Videtur autem id posse distinctionem recipere, nam si longa explicatione instrumenta indigeant seruandum est, quod diximus; si verò paucis descriptio absolui queat, in consilio eorum cognitio non incommode tradetur, nam si verbigratia super aliqua re ferenda sit lex, idq; in consilio decernatur, sanè ibidem, quæ lex ea sit, commode poterit ab Historico explicari.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

Iosephus igitur quot milites, & quos in bello Iudaico pop. Roman. habuerit ex parte describit; armorum verò genera, & castramentandi rationem quibus vtebantur satis diligenter explicat, in quo tamen longe à Polybio superatur, qui ea in re sanè se diligentissimum præstat, vt suo loco dicetur. Arietis Lib.3. de *autem quod est tormenti bellici genus commendabilissimum* bel. Iud. *videre est apud eundem Iosephum descriptionem, quam amulatus est Blondus Forliuiensis; reliqua huiusmodi apud illum* Blodus. *accuratiorem operam desiderare videntur. In Harodoto placet* Hærod. Lib.6.

quod expeditionem Xerſis dum explicat, & populos recenſet, quos aduerſus Græcos duxit, et ſingularum nationum armorum genera deſcribit; In quo tamen negligentior eſt, quam oportebat. Eiuſdem autoris deſcriptio pontis, ſuper quo idem Xerſe, exercitum traduxit comendabilis, verum reprehenſione non vacat dum alium potem in Helleſponto ſtratum ſilentio prætermittit: quemadmodum & ordines nauium, quibus ad Salaminam pugnatum eſt, imò in ea re negligentiſſimum ſe oſtendit, idq́; eo indignius ferendum eſt, quod illa pugna memorabiliſſima extitit, idq́; extitit. In Tucidide quod apprime laudemus eſt explicatio virium tum propriarum, tum ſociorum ex parte Lacedęmoniorum, & Athenienſium, licet in ijs, quæ pertinent ad Athenienſes diligentior ſit, nam & vim pecuniæ, & militum numerum pleniſſime narrat, ex parte vero Lacedęmoniorum leuius hæc eadem attingit, omni vero commendatione dignæ ſunt deſcriptiones, quas in oppugnatione Platenſium facit; Aggerem enim deſcribit optime quem Lacedęmonij ſtruxerunt, præterea Inſtrumenta quibus Platenſes aduerſus Lacedæmoniorum machinationes commenti ſunt; quo in loco ſane multa mirifice. At verò ſub cenſuram venit, cum dicit parata eſſe Inſtrumenta, quibus ab vna parte Iſthmi ad aliam traſducerentur Naues à Corintho ſcilicet ad mare, quod Athenas alluit; nam quæ, qualiaue ea Inſtrumenta fuerint, dicere non laborat. Diligentiſſime in obſidione Deli ab Hippocrate Athenienſium Duce facta, & murum, & foſſam, & Aggerem, & Vallos, & Turres deſcribit; ac ibidem fere quantum dici, aut optari poteſt commendabiliter narrat, qualem machinam Boetij adhibuerint contra murum, quem Athenienſes in eiuſdem Deli obſidione excitarunt; quo Inſtrumento & murum & omnem Athenienſium apparatum cremauerunt. Inſtructionem quoq́; exercitus Athenienſium, ac Lacedęmoniorum, & vtrorumq́; ſociorum in eo prælio, quo Lacedæmonij victores abiere, adeo diligenter, atq́; Hiſtorice deſcribit, vt melius non poſſit;

Lib 7.
Tucid.
Lib.3.
Lib.4.
Lib.5.

Quæ-

Quapropter vt strictiorem censuram omittamus, in hac Historiæ parte, Tucidides inter cæteros Historicos principem locum tenet. In Xenophonte merito laudabimus acierum instructiones tum Artaxerxis, tum Cyri, reliqua vero huius generis in eius Historia supine satis, atq; oscitanter narrata. Polybius egregie Coruos describit, quibus Romani vsi sunt aduersus naues Carthaginenses primo bello Punico, ibidemq; laudabilissima est instructio Classis Romanæ, qua Attilius, & Lucius Manlius cum Hamilcare Carthaginensium duce fœliciter decertarunt, quia, & numerum militum ex vtraq; parte diligentissime recenset: ordo quoq; exercitus tum Xantippi, tum Attilij Reguli non indiligens apud eundem: In traiectione Annibalis in Italiam numerum militum non omittit, quod pessimo consilio Liuius facit; quin, & quæ ipse parauerit in vsum expeditionis Italicæ, & quæ aduersus illum Romani moliti sunt, non indiligenter ab eodem Polybio memoriæ traduntur. Pulcherrima verò in narratione pugnæ, quo Romani ad Cannas cum Carthaginensibus certauerunt, acierum descriptio vtriusq; partis, tum verò notitia armorum, quibus Aphri, Hispani ea pugna vsi sunt: propterea omnino rerum militarum peritissimus Historicus agnoscitur: Præterea commendabilissima sunt, quæ de Armis Romanis, quæ de castrametatione, atq; ordinibus militaribus diligenter edisserit: pulcra quoq; videntur, quę de magistratibus, nisi forte alieno loco ea narratio posita dicatur; nam verè cum tàm multa ante sextum librum de Romanis narret, cognitio Magistratuum illius reip. tantum differenda non fuerat; quod de Instrumentis quoq; militaribus dicendum videtur, quorum notitia eodem sexto libro existitur. Plutarcus omnino huius partis incuriosus est, forte autem eum excusat, quod res gestas tantum describere aggressus est, quemadmodum etiam profitetur; vt ex illis mores, affectusq; agentium innotescant; propterea actiones per accidens se scribere ait, cum opus suum non Historiam, sed vitas esse præseferat. In Diodo-

Xenoph. in expe. lib. 1.

Polyb. lib. 1.

Lib. 1.

Lib. 3. Liuius.

Lib. 3.

Lib. 6.

Plutar.

In vita Alex.

Diodor. lib. 12.

ro placet, quod leges Cherondæ, & Zaleuci describit: displicet autem, (vt suo loco dicetur,) quod de illis suum ferre iudicium non dubitat; quæ verò de legibus Tribunitijs, & Consularibus immutatis Romæ dicit, illo opere temere inserta sunt; nam neque res Romanas vniuersa illa narratione vnquam attingit; & in alium locum eas destinasse satis constat; ac omnino hæc Historiæ pars apud Diodorum pessime tractata est. Quoniam verò mores, atq; instituta rerum publicarum inter instrumenta ciuilia posuimus, cum veluti leges sint, quę instrumenta esse

Dyonis. lib. 2. *non dubitamus; placet quod Dyonisius, non modo leges, quæ ad res sacras Romanorum pertinent diligenter explicat, vt Historicum decet, verum etiam morem quoq;, ac rationem auspicandi Reges: non placet autem causa, tum quia philosophica, tum quia falsa, supponit enim digniorem esse septentrionalē plagam eo quod superior sit; quod aduersatur, sapientioribus quibus Dextrum Cœli est oriens, superior verò pars Polus Antarticus; Multam quoq; laudem meretur in descriptione Magistratuum, nam & quot, & qui, & quales non male interdum ostendit, etsi enim munia Consulatus poterat explicatius docere, reliquorum tamen magistratuum, ac præsertim Dictatoris, quo*

Lib. 5. *loco primū creatus est. Titus Elargius, cognitio apprime Historico digna exhibetur: de Pręfecto tamē Vrbis, vel quādo primum creatus, vel quod illius esset munus nullibi ostenditur: De Aedilibus multa dicuntur, multa quoq; prætermittuntur, quod ipse fatetur; vnde subterfugere censuram minime potest, nam in ijs rebus, quæ ad Reip. moderationem pertinent pacis tempore diligentē eum esse oportebat, cum eius Historia præcipue, ac forte solum Ciuilem prudentiam spectat.*

Appian. *Appiani pudet in hac parte, nam & numerum militum, & qualitates, & instructiones acierum negligentissime vbiq; omittit, præterquam in ea pugna, quæ ab Romanis cum Antioco decertata est in Asia; nam ibi vtriusq; exercitus ordo ægregie describitur; cætera verò instrumenta silentio transigit, tum in bello cum Car-*

tha-

thaginensibus, tum verò etiam in bello cum Antioco, vbi etsi dicat Pausaniam multa Instrumenta bellica elaborasse, quæ tamen ea fuerint haud impensè laborat. In bello quoq; Mitridatico, quodam Instrumento vsum esse Mitridatem dicit in oppugnatione Rodiorum, quæ Sambuca vocabatur, quam super duabus nauibus collocatam fuisse tradit, & nihil aliud: Eundem Mitridatem quo tempore Cizzium oppugnaret, machinam construxisse ait centum cubitorum ciuitati similem, in qua esset altissima turris, ab eaq; Catapultas, lapides, sagittasq; maximas iactasse; & nihil insuper addit: Syllam quoq; multa Instrumenta bellica elaborasse dicit, in Athenarum oppugnatione, quæ verò illa fuerint incuriosè prætermittit: quapropter vt in reliquis omnibus Historiæ partibus, ita in hac se vnum de plebe Historicum exibet. Nec eo haberi debet diligentior Salustius apud quem rare admodum Instrumentorum descriptiones reperientur, ita vt afferri earum exempla vix possit, nisi forte in eo dicamus esse diligentem quod Coniuratorum qualitates describit, qui milites erant Catilinæ, & Instrumenta ad euertendam remp. Diuinus in hac parte Iulius Cæsar apud quem multorum militarium Instrumentorum explicationes habentur, vt Pontis super Rheno, & Nauium Venetarum in oceano, Turrium liltorum, ac tot aliorum, vt in ijs rebus describendis exemplum facile cæteris Historicis esse debeat; etsi forte secus senserint nonnulli ætatis nostræ imperite seueri Cretici, quibus cara fuisset in hac parte maior claritas; nam de ponte inter posteros multæ cohortæ sunt controuersiæ, illaq; adhuc non bene composita, quemadmodum in cæteris quoq; descriptionibus, aliqua reperiri potest difficultas; itaut cuidam recentiori præstita sit occasio dubitandi, an illorum Commentariorum sit autor Iulius Cæsar; imò aperte asserendi vel non esse; vel multa irrepsisse glossemata, quibus candida illius autoris locutio obscura apud posteros euaserit. Titus Liuius hanc partem omnino neglexisse videtur, nam quæ spectant ad pacem veluti

Salustius

C. Cæsar

Lypsius.

Liuius.

leges

leges, mores, instituta præcipue religionis, iudiciorum pop. Rom. nullo modo descripta; itaut hæc omnia magno apud eum inuoluantur silentio. De magistratuum vero aut numero, aut munere nullum fere verbum nisi forte pauca quædam de Cen-
Lib. 4. *sore: at verò in Instrumentis militaribus nam in ijs rebus diligentiorem fortasse quis eum existimet, pari vtitur negligentia, rarò numerus militum, aut qualitas apponitur, nisi forte in enarratione belli Punici secundi vbi singulis annis, quot legionibus pugnatum sit ostendit:* sex in eum annum decretæ legiones, & sociorum quantum ipsis videretur, & classis quantum parari posset, *at verò in certaminibus nulla fere mentio; genus verò armorum, quibus Romani vsi sunt, vix apud illum reperias quale fuerit; castrametatio nullibi attacta, ordinē verò exercitus si quis in eo autore intelligere velit, operam perdat, nam si quando illū describere conatur tot, etiam non iniuriose legentibus difficultates occurrunt, vt nihil certi*
Liuij descriptio ordinum militariū apud Romaii. expenditur Lib. 8. *percipi possit. Id vt manifestius intelligatur descriptionem, quam prioribus libris facit, breuiter considerabimus. Hæc igitur primum non suo loco, nam tunc apponenda erat, quando ordo repertus, atq; institutus est. Dubium est autem vtrum vnius legionis ordinem describat, an vniuersi alicuius Romani exercitus, quo scilicet vel semper, vel vt plurimum, vel quando liberam erat Romani duces vterentur; nam quod legionis vnius ordinem describat, nomina singula ordinum ostendunt, quæ ad vnam tantum legionem pertinent: nam in vnamquaq; legione, & Hastati erant, & Principes; & Antepilani, & Primipili, vt facile ex eodem autore colligitur; at verò è contra multa obstare videntur, primum quia legiones non constabant, nisi quinq; millibus peditum, & tricenis equitum; at huius ordinis numerus multo est maior: præterea aperta sunt illa verba* vbi his ordinibus exercitus instructus esset, *non inquit legio instructa, sed exercitus; Veniamus ad alia. Principio dubium est quid ab eo describatur, vtrum scilicet ordo exercitus,*

siue

siue Romanarum legionum, an verò exercitus Latinorum; *vtrumq; enim probabile est; Quod enim de Romanis loquatur, apparet ex illis verbis:* Scribebantur autẽ quatuor ferè legiones quinis millibus peditum, æquitum in singulas legiones trecenis, alterum tantum ex Latino delectu adijciebatur, *en hic de Romanis loquitur, cum ijs ordinibus addat Latinum delectum; In principio tamen descriptionis, alia verba dubium faciunt, inquit enim*, Nihil apud Latinos diuersum ab Romana Rep. prẹter animos erat. Clypeis antea Romanis vsi sunt, deinde postquam stipendiarij facti sunt, scuta pro clypeis fecere; *ecce hic de Latinis loquitur, ac deinde subiũgit*, quod antea Phalangibus similes Macedonicis, hoc postea manipulatim stricta acies cœpit esse, postremo in plures ordines instruebantur; *ac deinde ordinis, siue exercitus; siue legionis descriptionem immediate aggreditur; itaut continuato sermone, de Latinis loqui videatur: tamen repugnant verba, quæ superius attulimus, quibus eum agere de Romanis apertissime constat; forte autem hoc dubium soluetur si dicamus eũdem ordinem fuisse legionum, siue exercituum Romanorum, & Latinorum, idq; ex eo etiã intelligitur, quod dicit*, nihil apud Latinos diuersum ab Rom. Rep. præter animos erat: *verum quas habeat etiam in hac parte implicationes hæc descriptio, ex ijs, quę diximus apparet, sed vlterius procedamus: Romanos exercitus in quatuor distinguit acies Hastatorum, Principum, Antipilanorum & Primipilorum*. Prima, *inquit*, acies Hastati erant, robustior inde ætas, quibus Principibus est nomen; Hos sequebantur statarij omnes, agmen Antepilanos appellabant, quia sub signis iam alij sequebantur, qui Primipili appellantur: *Quatuor his constitutis aciebus, Antepilanorum paulo post obliuiscitur*, Hastati, *inquit*, omnium primi pugnam inhibant; si profligare hostes non possent pede presso, eos retrocedentes in interualla or-

dinum

dinum Principes recipiebant; si apud Principes quoq; haud satis prospere esset pugnatum, à prima acie ad Triarios sensim referebantur. *Triarij autem erat pars quadam vltimi ordinis siue aciei; quid igitur de Anteplanis? quorum tamen meminit paulo post in pugna contra Latinos inquiens.* Vbi Triarij consurrexerunt integri refulgentibus armis, noua ex improuiso orsa acies receptis in interualla ordinum Antepilanis: *ecce Triarij non Principes, sed Antepilanos recipiunt. Praeterea inquit,* Prima acies Hastati erant manipuli quindecim, manipulus leues vicenos milites, aliam turbam scutatorum habebat; robustior inde aetas totidem manipulorum; deinde Antepilani manipulorum triginta, hos quindecim ordines sequebantur; *ordo, vt paulò ante dixerat, sexagenos milites, duos centuriones, vexillarium vnum habebat,* in postrema verò acie quindecim ordines locabautur, ex quibus ordo vnusquisq; tres partes habebat, quarum vnamquāq; Primumpilum appellabant; hæc tribus ex vexillis constabant, Vexillum CLXXXVI. homines erant: *Igitur si ordo erat trium acierum, quarum vnaqueq; CLXXXVI. homines ter habebat, hoc est tria vexilla, hac ratione ordo vnusquisq; fuit mille sexcentorum septuaginta quatuor militum: erant autem post Antepilanos quindecim huiusmodi ordines; quare sequebantur Antepilanos vigintiquinq; millia centum quindecim virorum; quomodo igitur ait,* scribebantur autem quatuor ferè legiones quiuis millibus pæditum, æquitibus in singulas legiones tricenis; alterum tantum ex Latino delectu adijciebatur, *nam si Romani tantum in praedicto ordine censentur, profectò non sufficit numerus, nam quatuor legiones sunt numeratis peditibus, equitibusq; viginti vnum millia & ducenta; at verò ostendimus vltimam aciem solam, quæ quindecim habebat ordines; vigintiquinq; millibus centum quindecim hominum constasse; cui numero additis se-*

xaginta

xaginta manipulis, quibus tres priores Acies constituebantur, Hastatorum scilicet, Principum, & Anteplanorum; summa integra erit viginti sex millium trecentum quindecim hominum; nam manipulus vicenos leues milites habebat, quibus si addantur, quos scutatos appellat, nam inquit, manipulus vicenos leues milites, aliam turbam scutatorum habebat; *iam maior efficitur numerus; non igitur sat erant quatuor legiones, quas describere solitos esse Romanos ait, ad replendos ordines quos explicare contendit; quod si quatuor legionibus addas totidem ex delectu Latino iam maior est numerus legionariorum militum, quàm qui ordine descripto continetur; nam is est viginti sex millium trecentum quindecim virorum, vt diximus, ille verò quadraginta duorum millium quadringentorum. Praeterea peditibus quidem in acie suum dat locum, atq; ordinem, at verò de equitibus nulla mentio Praeterea magna est notanda vocum aequiuocatio;* sub signis, *inquit,* iam alij quindecim ordines locabantur, ex quibus ordo vnusquisque tres partes habebat, earum vnamquamque Primipilum vocabant, tribus vexillis constabant, vexillũ CLXXXVI. homines erant: *multa itaq; millia virorum vnusquisq; ordo continebat, at verò ab initio descriptionis dixerat,* ordo sexagenos milites, duos Centuriones, Vexillarium vnum habebat: *quod si dicatur superius specifice nomen ordinis accepisse, paulo verò post generice, iam obscuritas descriptionis agnoscitur: sed non propterea soluitur difficultas; nam accipiamus specificam significationem, quando dicit* ordo sexagenos milites, Centuriones duos, Vexillarium vnum habebat; *alia oritur dubitatio; Vexillarius enim est vbi vexillum, at verò vexillum CLXXXVI. homines habebat. Quomodo igitur, inquit, ordo sexagenos milites habebat? Praeterea quando, inquit,* ordo vnusquisq; tres partes habebat, earum vnamquamq; Primipilum vocabant: tribus vexillis constabat; *ambigitur*

gitur qua significatione ordinem ibi acceperit; nam si specifice dicamus; id esse non potest; superius enim dixerat ordinem sexagenos milites, duos Centuriones, Vexillarium vnum habere: si autem dicamus ordinem ibi esse acceptum pro quarta parte Acierum describēdarum, quæ scilicet Antepilanos sequebatur, id quoq; falsum est; nam illam quindecim huiusmodi ordines complecti ait; quarum vnusquisq; tres partes habebat; accipit igitur specifice, nam sumit, vt particulam partis vniuersæ; at in hac significatione ab initio videtur ordinem descripsisse, dum ait, ordo sexagenis virorum erat, duorum Centurionem, vnius Vexillarij, *quod tamen falsum est, nam in hac postrema significatione nouem manipulos continebat; hoc est mille sexcētum septuaginta quatuor viros: ecce igitur quam multis obscuritatibus descriptionem illam repleat æquiuocatio nominum. Præterea ordo, siue Acies Primipilorum in tres partes diuidebatur, prima erat Triariorum, secunda Rorariorum, tertia Accensorum. De Triarijs igitur, inquit, si Principes male pugnassent apud eos habere receptum: In pugna vero contra* Lib. 8. *Latinos.* Manlius, *inquit*, Consul paulisper addubitauit, an consurgendi iam Triarijs tempus esset, deinde melius ratus integros eos adulteriū discrimen seruari, Accensos ab nouissima acie ante signa procedere iubet, *quid igitur de Rorarijs de quibus nulla vnquam mentio? Præterea quomodo inualuit prouerbium si quādo negotium aliquod in vltimo discrimine versatur; rem ad Triarios rediisse; non enim quando ad Triarios deueniebatur exercitus in discrimine erat; nam post Triarios Rorarij stabant, post quos Accensi; qui ambo decem ordines continebant, quorum ordinum vnusquisq; mille sexcēta septuaginta quatuor virorum habebat; itaut vniuersus esset numerus sexdecim millium septingentorum quadraginta hominum. Triarij verò ipsi octo millia trecenti septuaginta milites erant. Itaq; minima, ac non considerandæ pars exercitus ceciderat, vel pulsa erat, quando ad Triarios*

res

res redibat, si vera sunt, quæ à Liuio in hac acierum descriptione dicuntur: ac vere Hastatorum, Principum, & Antepilanorum numerus mille ducentorum militum erat, & non amplius, nisi forte scutati addantur, qui in manipulis reperiebantur, quorum numerus indefinitus, incertusq; apud illum Autorem relinquitur: sed fingamus totidem milites fuisse; dicamusq; vniuersas illas tres Acies ante Triarios duo millia quadringentorum extitisse, num propterea quando deueniebatur ad Triarios erant res in periculo, cum hæc summa militum trium acierum decima exercitus pars minime esset? vel igitur temere ortum habuit prouerbium, vel falsa est Liuiana instructionis exercitus descriptio. Hæc igitur de Liuio, vt ea silentio prætereamus quæ tacet de instrumentis quibus aduersus Romanos vsus est Archimedes ad Syracusas tuendas; quæ tamen tamquam optimi Mathematici describenda erant, præsertim cum illa sola expugnationem Syracusarum tardarint. At verò Cor. Tacitus in hac parte interdum non negligens reperitur, naues enim quibus usus est Germanicus in Oceano male non describit. Tacitus. lib. 2.
Mille, *inquit*, naues sufficere visæ, præparatæq; aliæ breues angustaq; puppi, proraq;, & lato vtero, quo facilius fluctus tolerarent; quædam planæ carinis, vt sine nexu sederent; plures appositis vtriusq; gubernaculis, conuerso vt repente remigio hinc, vel illinc depellerent: *Militum verò numerus rarò apud illum; multo autem minus eorumdem qualitas. Armorum genera, vel nunquam, vel supine descripta. Q. Curtius omnium instrumentorum descriptionem prætermittit, tum verò quod præcipue in eo addiscendum fuerat, & quo Alexander totius Orientis victor extitit; nullum de Phalange Macedonica verbum dicit, siue de ordine, quo in aciem descendere consueuerat: Præterea dum instructionem exercitus Darij scribere conatur tanta vtitur obscuritate, vt sibimet quoq; viam precluserit ad intelligentiam; Ex recentioribus Paulus Iouius, oratorie, ac inanibus verbis ea de-* Q. Curt. Iouius.

 scribit,

ſcribit, quæ interdum ſibi explicanda eſſe videntur: Franciſcus
Guic. *quoq; Guicciardinus in hac re plus quàm æquum erat, incurioſus eſt; nam militum numerum rariſſime apponit; acies ſiue inſtructiones exercituum per rarò Armorum genera nunquam niſi perbreuiter, ac ſine lectoris vſu; itaut in hac parte à ſe ipſo*
Pau.Emilius. *plurimum degeneret. Paulum Emilium Veronenſem, ac Pla-*
Platina. *tinam Hiſtoriæ genus excuſat. quemadmodum, & Plutarcum,*
Plutarc. *vt multi arbitrantur: verum & ipſi actiones ciuiles, militareſq; narrant, quæ ſua cum habeant inſtrumenta ab illis deſcribenda erant: Platina tamen multa Pontificum inſtituta memoriæ*
Blondus *tradit. Blondum autem, quod ſæpe repetat ſe breuiter res geſtas à declinatione Imperij deſcribere, neſcio an ſatis excuſet; placet tamen in illo Arietis deſcriptio diligens; quemad-*
Zonaras. *modum & in Zonara mos quo Romani Imperatores in Deorum numerum adſciſcebantur. Philippus quoq; Comineus nec quos, aut quot milites Ludouicus Rex, aut Carolus Dux, aliiuè fœderati habuerint, nec quibus armis vſi ſint, nec quo ordine in pugnando deſcribit; ſed omnia ferè inſtrumenta negligentiſſime prætermittit.*

De Apparatu Inſtrumentorum. Cap. XXVIII.

QVi tantum conſilio proſpicit, vt videat quibus Inſtrumentis vtendum ſit, ea ſi habeat expedita, atq; parata poteſt operationem aggredi, quando libuerit: Verum ſi illis careat primum ea ſibi comparare cogitur, quod vt neceſſarium eſt, ita non rarò perdifficile. Propterea non magis ſolliciti ſunt de inſtrumentis, quam de illorum apparatu, qui conſilia rerum ineunt: non immeritò igitur hanc quoq; inter Hiſtoriæ partes collocauimus; hoc enim pacto docet Hiſtoria exemplis aliorum, non modo quibus vti oporteat Inſtrumentis ad perficiendas operationes, ſed etiam qua ratione ſint comparāda, quę deſunt.

desunt. Parare autem Instrumenta duobus maxime modis posse videmur, vt hic pauca quadam extra suum locum attingamus; nā vel ea nos ipsi efformamus, effingimusq́, vel facta nobis adsciscimus, atq́ vsui nostro accommodamus: id oritur ab eorum varia natura, quadam enim natura fiunt, quemadmodum equi, fruges; quadam fortuna, vt Amici, opes; quadam arte, vt naues, arma; quadam deniq́ ab electione: qua igitur ab arte, atq́ electione existunt, in hominum potestate sunt, ab illisq́ fieri possunt ad libitum, minime verò ea, qua à natura fiunt, vel fortuna; propterea ijs potiri non possumus, nisi prius naturaliter, vel fortuito facta sint: illa verò, qua Ars, vel electio efficit, vel facere nobis ipsi valemus, vel effecta ab alijs comparare, atq́ vsui nostro accomodare. De naturalibus igitur, ac fortuna subiectis, satis est agnouisse in Historia, qua ratione Agens illis potitus sit, idemq́ de ijs, qua ab electione, & arte proficiscuntur; si forte facta compererit; sin vero ea sibi ipse elaborauerit, apparatus vniuersa ratio in effectione constituta videtur; quapropter non leuis hic oritur difficultas, quaeri enim potest vtrum sit satis dixisse Agentem ea sibi Instrumenta fecisse, vel elaborasse, an verò explicanda sit quoq́ ratio qua vsus est, vel per se, vel per alios; nam is, qui legit vtilitatem minime percipiet, si cum facta videantur, efficiendi modus pratermittatur; cum enim rationem ignoret, instrumenta sibi ipse ad exemplum Agentis parare minime poterit. Quapropter nullum ex ea cognitione fructum consequetur: igitur effectionis quoq́ ratio explicanda videtur. Verum quis non indignetur, ac Historico irascatur si elaborandi arma rationem ostendat, vel naues, vel horum similia, quorum artes vigent in Ciuitatibus? Distinguendum itaq́ videtur, Instrumentorum enim alia sunt, quorum constituta sunt Artes, alia verò quorum Ars non est, vel si sit id quod ab Agente efficitur magnum aliquid est in ea Arte, perutile, non vulgatum, ac tum primo repertum. Igitur qua Artem non habent, ac tum primo facta sunt,

Instrum. apparat' quomodo ab histor. explicādus

sunt, cum sit eorum ignota ratio omnino explicanda est, idemq; dicendum de ijs, quorum etsi Ars est, non tamen sæpe efficiuntur, vel, vt melius dicamus, Ars efficit opus aliquod, cuius multæ sunt species, vel quæ multa habent, & varia accidentia: machinarum enim militarium ædificatores multas machinarum species elaborant: accidere tamen potest excogitatam esse aliquam speciē, vel accidentibus nouam, ijsq; magnis, atq; actioni accomodatissimis: igitur horum etsi Ars nota est, tamen propter nouitatem explicanda effectionis ratio. Verum dicet aliquis tradenda ne igitur est Ars rei alicuius in Historia? nam aliquid efficiendi ratio Ars est, præsertim si de rebus ijs loquamur, quæ in materia efficiuntur. Hoc quidem videtur perabsurdum, propterea considerandum est quomodo Instrumenta efficiendi rationem ostendere oporteat, nam quod rerum ignotarum ostendenda sit eam satis probauimus. Artem tamen Historicæ narrationi inserere minime conuenit, hęc enim docet exemplis rerum gestarum, non præceptionibus, vt Ars, quæ nihil aliud est quam de re aliqua præceptionum methodica dispositio. Videtur itaq; dicendum describi in Historia oportere effectæ rei rationem, qua vsus est is, qui eam perfecit, & hoc est actionis vnius exemplum proponere: Ars verò, aliorum in rebus efficiendis modum, rationemuè non ostendit, nisi forte ad maiorem eorum, quæ dicuntur, vel probationem, vel claritatem, Artis enim essentiale munus est ex notione finis demonstratiue pręcepta deducere: propterea non rei vnius numero rationem rectam ostendit, sed unius speciei, vel generis, quemadmodum nauicularia omne genus Nauium. Historicus igitur ea dicens, quæ Instrumentorum apparatui necessaria videntur, non ob id Artem in suam narrationem inducit, non enim tradit præcepta, sed ostendit rationem, qua vsus est aliquis in illis efficiendis: quare agendi ratio narranda est, dum expedire videtur, sæpe enim accidit explicatione Instrumentorum tanta eorum fieri notitiam, vt minime sit necessarium

eorumdem

eorumdem structuram, effectionemq; explicare, nam quisq; quæ sint ratione effecta per se cognoscere potest; si quis enim verbi gratia leges alicuius Principatus describat, illico qua ratione sint factæ intelligētur, nisi forte quo pacto latæ sint, atq; promulgatæ cognoscendum videatur: multa itaq; sunt quorum descriptione intellecta statim efficiendi ratio perfectè innotescit: vnde in ijs apparatus descriptio minime est necessaria; quemadmodum neq; descriptio Instrumentorum, quoties sola nominis appellatione manifestantur, nihil enim est frustra aut superuacanee faciendum.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

CVm igitur belli Instrumenta sint milites, siue proprij, siue amicorum, optime Tucidides explicat, quid Athenienses, Lacedæmonij fecerint, vt complures sibi socios adsciscerent antequam inter se bellum inchoarent. Aggerem quoq; construendi rationem ostendit, quo sunt vsi Lacedæmonij in oppugnatione Platensium, idq; diligentissime, & commendabili narratione, quemadmodum, & in obsidione Deli ab Hippocrate Atheniensium Duce facta, optime non modo murum, fossam. Aggerem, Valles, Turresq; describit; sed eorum efficiendi rationem, quantum ad Historicum pertinet laudabiliter exequitur; ac omnino in hac re plurimum autor hic vidit: Herodotus autem negligēs; multo autem negligentior Appianus, apud quem huius partis nullum extat vestigium. Diodorus apparatum belli, quod cum Græcis Rex Persarum Xerses gessit, haud male describit, Instrumentorum autem apparatum, quem Dyonisius Syracusanus fecit, quo tempore bellum Carthaginensibus inferre statuit, diligentissime: & verè is Autor in rebus Siculis longe accuratior est, quam aliarum gentium, quarum breuem, ac compendiariam Historiam se scribere profitetur, inquit enim quodam loco, quarum singula cuiusq; nomina

Tucid. lib. 1.
Lib. 2.
Lib. 4.
Hærod.
Appian.
Diod. Lib. 11.
Lib. 14.
Lib. 12.

recen-

recensere præsentis Historiæ succinta narratio non permittit, *ob eamq́ rem non mirum, si rarò legantur consilia, apparatus, causæ; nam actionem ipsam nudam fere semper narrat; in rebus tamen Siculis, vt diximus diligentiorem curam adhibet. Dyonisius cum ciuiles potissimum actiones describat, sint autem ciuilium actionum praecipua Instrumenta Magistratus, horum creandorum rationem non indiligenter exponit, in hac tamen parte se ipso negligentior est. Laudandus interdum Xenophon, accuratissime enim prosequitur rationem, qua vsus est Cyrus in auxiliaribus copijs comparandis, & amicis adsciscendis* ipse, *inquit*, Cyrus eorum qui ad se à Rege quacunq; de causa venissent, ita animos conciliabat, vt amiciores sibi multo quàm Regi admittere: Prçterea curabat, vt Barbari, quos apud se habebat, boni bellatores essent, eosq; suo sibi beneficio desuinciebat, & Grçcorum copias, quam occultissime accersebat; *& reliqua ibidem optime atq; Historicè. De rebus gestis Græcorum verò quando contra Persas Agesilaus Ephesum duxit exercitum*; postquam, *inquit*, Ver appetebat vniuersum Ephesum cogit exercitum, quem cum exercere vellet, peditibus si quis çgregio corporis roborç prçstaret; æquitibus verò si quis optime equitasset præmia proposuerat, *& reliqua*, maxime ex Arte. *Quam eandem rationem imitatus Salustius, multa commemorat, quibus Catilina vsus est ad socios, amicos, pecuniam, militesq́ comparandos*; iuuentutem, *inquit*, quam stupris, ac muneribus illexerat, mala facinora edocebat, ex illis testes signatreq; falsos, commoda, fidem, fortunas, pericula uilia habere; post vbi earum famam, & pudorem attriuerat maiora alia imperabat, *& reliqua, quæ quo magis accurate descripta sunt, eo minus commendabilem Historicum decent, non enim prudentem, vt in cap. de electione diximus, lectorem faciunt, sed scelestum, ac nefarium Ciuem. Aduertendum tamen in hoc autore illaudabili consilio, hanc partem interruptam, nam cum*

longe

Dyon.

Xenoph.

Lib. 1. de Anabasi.

Lib. 3.

Salust.

longe superius rationem aggressus esset ostendere, qua vtebatur Catilina in amicis parandis; tum multa, atq; adeo longa interiecta narratione, hac qua modo diximus adiungit: alium tamen instrumentorum apparatum idem autor in eadem coniuratione merito seiunxit, armorum scilicet, pecuniæ, militum. Arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua, aut amicorum fide sumptam, mutuo Fesulas ad Manlium portari, *& reliqua dein adiungit:* Mulieres, quę primo ingentes sumptus stupro corporis tolerauerant, post vbi ætas tantummodo quęstui, nō luxuriæ modum fecerat, ęs grande conflauerant, per eas se Catilina credebat posse seruitia vrbana sollicitare: *Hunc igitur apparatum Instrumentorum prudenter à superiori narratione disiunxit, nam etiam in agendo seiunctus fuit, ratione cuiusdam accidentis, quod insperato aduenit, quo impulsus est Catilina ad noua consilia; nam factus Consul. M. Tullius maiora sibi parare præsidia opus esse arbitratus est. In bello quoq; Iugurtino* Metellus, *inquit*, diffidens veteri exercitui, milites, scribere, præsidia vndiq; auertere, arma, tela, æquos, & cætera Instrumenta militiæ parare, ad hoc commeatum affatim, deniq; omnia, quæ in bello vario, & rerum multarum egente vsui esse solent; *deinde subiungit*, cæterum ad ea cōparanda senatus autoritate socij, nomen Latinum, & Reges vltro auxilio mittendo, postremo omnis Ciuitas summo studio adnitebatur, *quæ omnia profectò commendabiliter explicata sunt. Polybius in hac parte* Polyb. *egregium sanè se exhibet Historicum, nam complurium militarium Instrumentorum efficiendi rationem optime describit, vt eo loco quo modum commemorat, quem Romani adhibuerunt ad consternendas naues ad eius exemplar quam de Carthaginensibus cœperant:* Lib. I. *ibidemq; qua ratione nautas exercerent: at verò non docet quo pacto potuerint Romani classem ducentarum, & viginti nauium tanta celeritate exædificare, vt*

intra trium mensium spacium elaboratæ fuerint, & in mare deducta; quod dubium ipse mouet, dicitq; mirum videri tam exiguo tempore id perfectum esse, cum multo post Romani terra, mariq; longe potentiores illud idem efficere minime possent; Huius tamen causa fortasse, vt promittit, iis libris explicauit, qui temporum iniuria perierunt. Cæsar. *Iulius Cęsar, vt alias Historiæ partes, ita hanc quoq; mirifice exequitur, nam Heluetiorum apparatum diligentissime describit.* Lib. 1. de bel. Gal. Iumentorum, *inquit,* & carrorum quam maximum numerum coemere, sementes quam maximas facere, cum proximis ciuitatibus pacem, & amicitiam confirmare, *& quæ sequantur, tum quæ ipse molitus est, milites, fossam, murum: & fere semper quoties huiusmodi Instrumenta, eorumq; apparatum describere opus est, pari vtitur iudicio, & delectu, vt de ponte diximus, cuius construendi rationem optime explicat, multaq; alia, quæ omittimus ad alia properantes.* Liuius. *At vero in Liuio hæc pars non admodum commendabiliter tractata est; licet eam non omnino negligat, nam in narratione belli Punici secundi qua ratione sæpe Romani, & milites, & arma, & pecurias compararint, ostendit, ac forte in iis, quos amisimus libris: huiusmodi rerum explicatio accuratior habebatur; vt gestorum suis temporibus propinquorum.* Sueton. *Suetonius vix hanc partem attigit,* Tacitus. *nec eo diligentior est Cornelius, nam cum plures absuntos esse dies à Germanico dicat in efficiendis pontibus, eorum tamen rationem minime ostendit, quod supernacuum Max. Cęsari visum non est: eodem consilio in rebus similibus vtitur. Ex recentioribus* Comin. *Philippus Comineus negligentissimus est, itaut partis huius vix appareat vestigium apud illum, quemadmodum, &* Platina. Pau Em. Blődus. *apud Platinam, Paulum Emilium, & Blondum:* Iouius. *Iouius autem non omnino spernendus;* Guicc. *diligentior tamen Guicciardinus, pręsertim in vniuersali apparatu belli Neapolitani à Carolo Rege Galliæ gesto.* Ces. Cāpana. De bello Gal. *Apud Cæsarem Campanam commendabilissimam existimo pontis Antuerpiensis constructio, nec minus nauium*

uium ad ipsum pontem comburendum fabricatarum ab Antuerpiensibus; hæc enim duo Instrumenta bellica egregie cũ eorum apparatu, siue efficiendi ratione descripta sunt; quemadmodum in hoc genere multas apud eum diligentissimas, atq; omnino Historicas descriptiones reperias tum in Historijs vniuersalibus, tum etiam in Belgico bello.

De Loco. Cap. XXIX.

ACtionis locum describere, Historicum oportere, iam diximus; id verò eatenus faciendum est, quatenus adiuuit, vel impediuit actionem; nam alia quoq; potest esse loci descriptio, quæ nihil pertinet ad Historicam narrationem. Igitur in Ciuilibus actionibus quo in loco senatum Agens conuocauerit, vbi leges promulgauerit, concionem habuerit, vbi iudicia exerceãtur, & huiusmodi, quæ aliquando magni ponderis sunt, describantur: quod si nullus fuerit horum vsus, aut impedimentum prætermittenda sunt. In militaribus autem eorum pondus manifestissime cognoscitur: quo in loco aciem Dux explicuerit, hostemuè aggressus sit, in planicie, in colle, in arduo, an facili, terra, an mari, prope fluenta, an longè ab aquis. At verò alia quædam locorum descriptio necessaria quidem est ad cognitionem actionũ, historia tamen limites transcendit, atq; ad Geographiæ, siue Corographiæ munus pertinet, quã Artem ab Historia distinguere decet, nam etsi Cosmographia, & scribenti Historias, & legenti pernecessaria est, vt hic in qua parte terrarum gesta sint qui narrantur intelligat, vnde hostes aduenerint, vbi Agens commoratus sit, quamq; simul proportionem habeant loca; ille autem, vt melius, quæ narraturus est animo concipere possit, atq; explicare; loca tamen vniuersalia describere Historicus non debet, sed ea satis est suo tantum nomine appellare, ab vltimis Germaniæ partibus, ex Insula, quæ

Diuersũ mun' historic. & Geograforũ in locis descrĩbẽdis

Scandinauia vocatur Longobardos in Italiam irrupisse: at verò Insulam, Italiamuè describere Geographi munus est, qui regiones, orbemq; vniuersum describit non actiones; Historia verò actiones, non regiones; nam huius finis prudentia, illius verò cognitio regionum, ac partium orbis terrarum, quæ non magis Historico necessaria videtur, quam Mari, terraq; peregrinantibus. Quapropter si duas faciamus distinctas Artes Geographiam, atq; Historiam non omnia de loco scribenda erunt Historico, sed ea tantum, quæ ad actionem rectè, vel secus peragendam contulerunt. Oritur autem hic huiusmodi dubitatio; loci illa circumstantia, quas esse in Historia describendas demonstrauimus specialem, imò singularem locum efficere videntur; at verò eiusdem Artis est agere de genere, ac speciebus, vsq; ad indiuidua specierum: agit enim Medicina de genere, ac speciebus morborum, & ad singulos quantum potest descendit, nullusq; nisi qua medicus particulares morbos aut cognoscit, aut sanat, aut de illis præcepta tradit. Quapropter si orbem terræ, partesq; eius, ac loca omnia vniuersalia Geographia describit, eius sine dubio munus est singularia quoq; describere; quare nihil reliquum erit Historico: an satis constat idem esse interdum diuersarum facultatum, disciplinarumuè subiecta. diuersis tamen rationibus? nam homo est ciuilis facultatis subiectum, vt sociabilis, vel virtutis capax; Medicæ, vt sanabilis. Ita singularia loca à Geographis describuntur tanquam regionum vniuersalium particulæ; ab Historico verò tanquam actionis circumstantia perutilis, ac necessaria cognitu: verum id satisfacere non videtur, nam vt vniuersalis regionis descriptio à Geographia petenda est, idem quoq; de loco quantumuis particulari dicendum: propterea melius dicemus Historicum verè locum non describere, sed agentis, vel agentium situm, non enim collem, vallemq; describit, sed exercitum in colle quodam constituisse, aut planicie in Vrbe, vel opido iuxta flumen, aut littus Maris: quod si interdum Collem, plani-

Dubitatio de munere Hist. & Geografia in particularibus locis describendis.

Alia solutio.

ciemuè

ciemuè describit, id facit cum relatione ad agentes quæ scilicet auxilium, vel detrimentum ab eo loco susceperunt, vel suscipere potuerunt; Geographia verò cum relatione ad alias terræ partes atq; Cœli: propterea longe alia vtitur vterq; ratione, multaq; præterit Historicus, quæ non omitteret Geographus, & è conuerso. Id autem in locis vniuersalibus, regionibusuè difficile potest contingere, propterea eorum descriptio à Geographia petenda est præsertim diligens, & absoluta, nam breuis, & quantùm potest ex ea lumen Historica narratio adipisci, haud absurde ab Historicis adhibetur, & sumitur à Cosmographis, nam artes mutuam sibi operam præstant: in eo tamen castus esse debet Historicus, tamquam alieno munere fungens.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

QVapropter descriptio Galilea, ac totius Iudeæ, quam Iosephus facit Cosmografica est; etsi eam longa oratione minime prosequantur, quod errorem facit excusabilem; ea quoq; minime commendabilis, quæ Iericum, & lacum Asphaltidem, eorumq; locorum fertilitatem, lacusq; qualitatem memoriç commendat, quæ omnia non modo alterius muneris sunt, sed nihil susceptæ narrationis intelligentiæ prosunt; At verò militaris, & Historico digna illa esset, quæ Hierusalem describit, nisi multa otiosa, inani, ac græca vaniloquentia admiscuisset, vt quæ de Palatij, ac templo Salamonis diffusissime. Hanc partem Tucidides ignobilissime tractauit, nam situs, exercitus, & vrbium obsessarum, siue oppugnatarum negligenter, vt plurimum omittit; ita ut nulla in eo autore queat laude digna locorum descriptio reperiri. Sub eandem censuram venit Xenophon, qui nec Historice, nec Cosmographice vllum locum describit. At verò Harodotus è contra quoties in alicuius vel actionis, vel personæ, vel loci mentionem incidit longissime digreditur ad omnia narranda de illis, etsi nihil ad inceptam narrationem

Ioseph. Lib.3.

Tucid.

Xenoph.

Hærod.

tionem

tionem pertinent; in quo cum æmulari Homerum videatur, Historiæ terminos inuerecunde transgreditur Diodorus autem Siculus non solum Cosmographicis vtitur descriptionibus, sed hanc præsefert opinionem spectare ad Historicum Cosmographiam locorumq; descriptiones; ob eamq; rem non modo prioribus fabulosis libris, ante omnia, orbem Terrarum describit, sed in posterioribus quoq; Historicis Geographicas sæpissime locorum descriptiones interponit, integrosq; libros absumit. In Polybio autem notandum descriptionem Siciliæ, posse aliquo modo in Historia permitti, nam cum multa terra, mariq; in ea Romani, atq; Carthaginenses gesserint, ad eorum intelligentiam breuis illa descriptio necessaria videbatur; verum alieno sane loco adscita, nam infinita propemodum in ea Insula Romanorum, Carthaginensiumq; facta commemorat, antequam illam describat; itaut in obscuro necesse sit lectorem versari, si ab ea descriptione lumen accepturus est, sin minus supernacanea, & omittenda. At verò alienam ab Historia descriptionem facit de Gallia, atq; Italia vniuersa; multo autem magis supernacua, quæ de fertilitate Cisalpinæ Galliæ dicit; omnino autem non ferendum, quod regiones, per quas iter habuit Annibal in Italiam veniens explicaturus, vniuersum orbem terræ describit, more suo longissima oratione: Verum Historia, atq; actioni narratæ congruenter locum insidiarum describit, quas Annibal apud Trasimenum Romanis tetendit; quæ vero de Bizantio, Ponto, Meotide, ac Dannubio in fragmentis leguntur, nullo modo sunt Historica & præterea falsa, vt experientia tot annorum docuit; nam Pontus, siue mare Euximum, ità commodè nunc nauigabile est, ac temporibus illius esset; propterea falsa sunt rationes quibus adductus in eam opinionem; descendit non multo post illud mare innauigabile, propter arenas futurum. Apud Appianum tacet hæc pars Historiæ, & profectò quis non miretur tanto labore, tantam Ciuitatem oppugnatam, qualis Carthago

Diod. Lib. 5. — Polyb. lib. 1. — Lib. 3. — Lib. 3. — Appian.

fuit,

fuit, ab illo tamen nulla ratione descriptam? vt ignobiliorum locorum prætermissas descriptiones omittam. Iulius Cæsar congruentissime Gallias describit paucissimis verbis; suo loco Germaniam quoq; non prætermittit; quod si Insulam Britaniam, alias q; adiacentes describe͂s longius prouectus videatur, facile concedendum Autori scribenti pop. Rom. ad quem ea tempore nulla illorum locorum notitia peruenerat. Cæterum situs exercituum, vrbiumq; quoties opus est, diligenter describit. In Salustio orbis terrarum descriptio vt partes filiorum, nepotumq; Massinissæ explicaret; superuacua, & non Historica; commendabilis verò, quæ continet locum, insidiarum à Iugurta Metello dispositarum: cæterum oppugnatorum locorum, vel exercituum situs sane haud descripti, præsertim in Coniuratione, in qua nec vestigium quidem huius rei apparet. In Liuio, vt alia prætermittam; oppugnantur Syracusæ, nullum verbum de situ illius vrbis, quæ tanta molis fuit ad expugnandum. De Carthagine in Hispania; vix pauca, atq; adeo obscurantia potius, quam lucem afferentia bellicis actionibus quæ circum illa factæ sunt; situs quoq; exercitus incuriose, vt reliqua, prætermittit. Tacitus adeo huius Historiæ partis ignarus est, vt oppugnationem Hyerosolimorum; actionem nobilissimam, & inter bellicas summopere memorabilem descripturus; vrbem illam omni ratione principem illius temporis, negligenter fere indescriptam relinquat; itaut magna in obscuritate versentur, quæ ab eo de oppugnatione narrantur. Ammianus Marcellinus orientales plagas, Regionesq; pop. Rom. subiectas haud sane Historico more describit. Dyonisius quæ de œnotrijs Aborigenis, deq; Italia, iudicans eam cæteris regionibus meliorem dicat, cōferens cum Aegypto, ac Babylonia prudentius omisisset, Historica enim minime sunt. In Q. Curtio locorum descriptiones inanes, & poeticum in morem; non tamen spernenda quæ Tyrum ab Alexandro oppugnatam describit, omnia enim diligenter explicat, quæ illam vrbem natura muniebant, & quæ viribus

Cæsar. Salustius In Iugurtino. Liuius Lib. 24. Lib. 16. Tacitus. Ammia. Marcel. Dyonis. lib. 1. Q. Curt. lib. 3.

Comin. Guicc. *Alexandri obſtiterunt. Ex recentioribus verò, Comineus hac in re negligentiſſimus, quin, & Franciſcus Guicciardinus eo minime videtur diligentior, imò forte accuſatione dignior, nam vt alia ommittantur; cum obſidionem Fauentiæ narret,* Lib. 4. *longa autem oratione, ac forte ſuperuacua oppugnationem Piſarum, neutram tamen Ciuitatem deſcribit; ſimili vtitur ne-* Lib. 10. *gligentia in expugnatione Bononiæ commemoranda; quapro-* Iouius. *pter in hac parte ei Paulum Iouium merito præferemus; qui tamen Imperium Hyſmaelis, ac regiones totius fere orientis Aſiatica oratione deſcribens, ſimiliq; ratione Alpes, & earum acceſſus, ſiue tranſitus, ac vniuerſam Aethyopiam; reprehenſione minime vacat, & Geographi potius, quam Hiſtorici laudem conſectaſſe videtur.* Ceſ. Cãpana. *Campana in hac quoq; parte commendabiliter ſe gerit, nam & ſitus caſtrorum diligentiſſime quoties opus eſt, & vrbes oppugnatas Hiſtorice, ac militariter deſcribit, cuius pulcherrimum exemplum habetur in Hiſtorijs vniuerſalibus, dum Lutetiam Pariſiorum ęgregijſſime tamquam in tabella depingit, quæ deſcriptio Hiſtorice magis, ac melius fieri non poterat; voluiſſem autem diligentiorem deſcriptionem Antuerpiæ, & aliorum quorundam locorum oppugnatorum in Belgio, & vt vere dicam quo ad hanc partem diligentior videtur in Vniuerſalibus Hiſtorijs, vbi non modo Pariſium, ſed Iauarinum, & Comarum optime, quaſi ob oculos ponit.*

De Tempore. Cap. XXX.

Occaſio quid. *DE tempore eadem fere dicenda, quæ de loco, non enim omne tempus deſcribendum, ſed quod eſt altera occaſionis pars, eſt enim occaſio potiſſimum opportunum tempus, & locus; occaſio verò iuuat actionem: propterea eius tantum temporis deſcriptio facienda eſt, quod opportunitate actionis profuit, vel tamquam intempeſtiuum, obfuit: Apparet autem in rebus, præſertim militaribus temporum vtilitas, atq; detrimentum; nam*

nam multa quæ alieno tempore inchoata perfici nequiuerunt, opportuno incœpta feliciter prouenere; quædam enim noctu facienda sunt, quædam interdiu, tempore nebuloso alia, alia sereno: videtur autem describenda potius temporum qualitas, quam tempus ipsum; verè enim tempus nihil officere potest, cum forte nihil sit præter humanæ mentis operationem; nam quod vulgo dicitur omnia tempus absumere, & quod ab optimo Poetarum, Tantum æui longinqua valet mutare vetustas, *non hæc tempori, sed causis, quæ in tempore agunt tribuere debemus, vt in contemplatiua philosophia dicetur. Quapropter videndum quæ temporũ qualitates affectionesuè obesse queant actioni, vel prodesse; nec obijciat aliquis non realis entis affectiones, reales esse non posse nam alibi ista considerabuntur: hic vt vulgo mos loquimur; attribuunt autem multas huiusmodi affectiones tempori, nam & nubilum appellant, & serenum, & calidum, & frigidum, cui nos consuetudini sermonem accomodantes dicimus his qualitatibus tempus & prodesse interdum actioni, easq; ab Historico diligenter esse describendas; Temporis autem ipsius descriptio annorum scilicet, mensium, dierum, hoc est quo anno, vel mense, vel die gesta sit actio, cum nihil prudentiæ conferat, superuacanea est; non enim prodest, aut obest tali anno agens suam fecisse operationem, aut tali mense, dieuè an alio: signum est quod sæpe de huiusmodi tempore quæstio habetur, quod si necessarium ad eam peragendam tempus illud fuisset non nisi vno tempore posset esse peracta, nam quemadmodum dicere nequimus tempore diurno prospere esse rem gestam, quæ noctu gesta sit, & quæ non nisi illo tempore geri recte potuisset, cum illa temporis qualitas eam adiuuerit, atq; perfecerit, ita si essentialis circumstantia esset huius anni tempus, vel illius, commutari non posset. Itaq; quo anno gestum sit Punicum bellum, vel pugna Scipionis cum Annibale anno scilicet ab Vrbe condita quingentesimo, vel sexcentesimo nihil id facit ad eam operationem rectè efficien-*

Notitia tẽporis quo gesta sit actionihil conducit ad prudẽtiã: propterea nõ necessaria in Historijs

dam, neq; ad prudentiam comparandam: at verò cognouisse quod noctu sint incensa tentoria Sifacis, Asdrubalisq; id verè necessarium est, nam interdiu res illa minime percessisset. Hoc igitur tempus est Historiæ pars, nā de annis, mensibus, diebusuè satis dictum est superioribus capitibus cū de Annalibus sermonem haberemus: ex his autem cum facile possit quisq; intelligere, quæ in Historia probanda sint; quæuè censuram subeant ea longiore oratione minime prosequemur.

De Actione. Cap. XXXI.

Nunc de actione dicamus; hæc autem est vsus Instrumentorum, illinc enim dicitur actio incipere; etsi nonnulli existimant apparatum esse illius initium, verè enim; quod sit post consilium esse videtur principium operationis. Quomodocunq; sit nos actionem tamquam ab hoc apparatu distinctam partem facimus; propterea videndum quomodo actio narranda sit, dicam autem primum de vna vel particulari, tum verò de vniuersalibus Historijs. Narranda est actio, & modus ipsius, non enim tantum quid actum sit, sed quo modo scire oportet, cum in eo plurima sit interdum vis: quid autem nomine modi actionis intelligatur hic declarandum non est: vocamus tamen actionis militaris scilicet pugnæ modum, acriter ne, an remisse; clam, an palam; insidijs, an virtute; qui modus consilio quæritur, ac propterea in actione diligenter describendus est, vt ab euentu quoq; diudicari queat rectitudo consilij, nam si ita peracta sit operatio, vt statutum est in consultatione, finis tamen obtineri non potuit, nulla re extrinsecus aduersante, atque impediente, manifestum est agentem non bene consultasse: Hæc est prima vtilitas huius Historiæ partis: alia vtilitas est Actionis perfecta, & absoluta cognitio, quæ necessaria est, vt eam lector imitari possit, & prudentiam adipisci, commendabilis autem descriptionis nullam esse dicemus aliam

legem,

legem, quam actionem ipsammet, ita enim commemoranda est; vt contigit, in quo tamen aduertendum, vt ea tantummodo memoria tradantur, quæ videntur esse ad prudentiam necessaria, nam multa interdum in actionem cadunt indigna relatu: & hæc quidem seruanda si omnia contingant, & fiant quemadmodum in consilio statutum est, si quid autem accidat, vt sunt humana actiones multis subiecta casibus, id quoq; narrandum, tum quid illud fuerit, tum quæ eius causa; idque duabus rationibus, prima est, vt recte ferri de actione iudicium possit, prudenter ne facta, vel imprudenter sit, quod sine cognitione accidentium siue casuum fieri minimè potest, nam si qua finem assequatur, vel ab eo decidat, non propterea dicenda est prudens, vel imprudens, quemadmodum supra monuimus, sed considerandum vtrum per se, an per accidens. Alia ratio est, vt intelligatur, quæ possint in similibus actionibus contingere, & quoniam possunt & bona & mala, hoc est quæ actionem impedire valent, & quæ iuuare; intelligatur, qua ratione illis recte quis vti debeat, & quomodo in eorum vsu peccetur, & hoc quidem in ijs accidentibus, quæ ad vtramq; partem se habent, scilicet ad auxilium, & impedimentum: nam quæ ita accidunt vt semper ac necessario bona sint, atq; vtilia, vel semper mala, atq; impedientia, perfecto neq; laus, neq; vituperatio eorum vsum sequi potest, cum prudentiæ, atq; electioni minime subiaceant, non tamen prætereunda sunt, nam conferunt ad iudicandum de qualitate actionis, & ad cognoscendum quæ in similibus actionibus possint, ac soleant interdum euenire. Quoniam verò & quid agendum, & quomodo consultantes inquirunt, hoc est actionem, & modum; oritur dubitatio vbi hæc describenda videantur, vtrum scilicet in consilio, an post apparatum instrumentorum quando actio peracta est, nam si non describatur in consilio, quid statutum sit minime intelligetur; at si in consilio explicetur, & dum vere accidit, & gesta res est, bis idem narrabitur, quod est superuacaneum; omittere

autem

Non oĩa narranda sunt quæ in actione aliqua cõtingãt

Quo loco actio, & mod⁹ illius narranda sit ab Hist.

autem descriptionem actionis, eo loco, & tempore quo verè contigit perabsurdum, nam vt necesse est describere quid consultum sit, ita quoq; quid gestum. Hac igitur dubitatio sic videtur soluenda; Quid agentes in consultatione deliberauerint in ea commemorandum est: post verò Instrumentorum descriptionem, & apparatum, atq; etiam interdum post locum, & tempus quid gestum sit, vt vere gestum est ostendere oportet, nec tamen repetuntur eadem, nam primò dicitur quid agendum, secundò verò quid actum, in quo multa sæpe diuersa contingunt; manifestum est enim in rebus præsertim Bellicis, quàm multa in actionem incurrant, præter id, quod in consilio decernitur: quod si nihil omnino contigerit, narranda tamen actio est, nam multa particularia in ea peragenda necessario fiunt, quæ in consilio describi non possunt: describuntur enim vt plurimum in Historia consilia vniuersalia, id est, quæ vniuersam actionem complectuntur, de particulis autem sæpius consulit agens, quod reticetur, sed actio tantum describitur, vniuersale autem consilium in eo quod pertinet ad actionem, ac modum illius vniuersalia tantum complectitur; esse cum hoste pugnandum clam, & positis insidijs eumq; vel hinc, vel illinc aggrediendum; vt vero eruperint milites, vt impressionem fecerint, vt se fortiter gesserint, vt repulsi sæpe, tandem victoriam obtinuerint; hæc in Actionis tantum narratione cognoscuntur. Si forte autem obijciat se huiusmodi actionis genus, in quo cuncta omnino gesta sint vt in consilio agens decreuit, nihilq; noui addi possit; non videtur inani repetitione lector esse defatigandus: huiusmodi autem actionū consilia Cæsar omittere consueuit, actiones ipsas describere propterea sæpe inquit, Cæsar quid fieri velit ostendit. *Cæterum quid voluerit non explicat, sed rem ipsam narrat; agrè tamen id contingere potest in ijs actionibus quæ sola sumuntur ad narrantur, & quales esse Historia dignas paulò ante demonstrauimus, nam & magna sunt, & plena casibus. Hac igitur actionis narranda*

randa ratio: initium autem illius ab vsu Instrumentorum incepere videtur: narratio verò producenda est vsq; ad finem, siue terminum; terminus autem est in quo actio desinit, videtur autem desinere in adeptione eius ob quod instituta est, vel in desperatione eiusdem obtinendi: nam vbi cessat actio, ibi finienda quoq; narratio; quisq; autem eo vsq; operatur donec finem expetitum obtineat, vel vlterius posse illum obtinere desperet; alter enim quiescit, quia id habet, propter quod operabatur alter verò quia frustra se laboraturum intelligit.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

IN Iosepho itaq; Iotapata expugnatio mirifice placet, eam enim ita diligenter describit, vt pauca desiderari queant, quod si pari diligentia vsus esset in cæteris actionibus, ac præsertim in obsidione Hyerosolimitana laudabilior eius Historia esset in hac parte; in qua tamen non omnino negligens est. Oppugnatio Platensium Ciuitatis ab Lacedęmonijs facta, optime, ac diligentissime à Tucidide describitur; nec minus diligenter naualis pugna Athenensium, & Lacedęmoniorum, cum omnibus accidentibus suis, ob qua Lacedęmonij victi sunt, quemadmodum & muri trascensus Peloponnensium, quem pauci Platensium fecere dum obsiderentur, ita ęgregie cum omnibus ijs quæ contigerunt descripta est, vt commendabilius non potuerit explicari. At verò pugnam naualem, quâ Athenienses à Lacedęmonijs non modo victi sunt, sed omnino animo perculsi, ita ut eam iacturam omnibus alijs grauiorem toto illo bello acceperint; vix attingit, numerum enim pugnantium non dicit, ordinem nauium non explicat, modum decertandi, & quæ in vniuersa illa actione facta sint, & quæ causæ victoriæ fuerint, omnino prætermittit, vt suspicari liceat, librum illum octauum non esse Tucidides genuinum, quemadmodum multis quoq; alijs visum esse scio. In Xenophonte commendabilissima

Ioseph de bello Iud.

Tucid. lib. 2.

Lib. 3.

Lib. 2.

Lib. 8.

Xenoph. lib. 1.

lissima est narratio pugnæ Cyri, & Xerxis in Anabasi, nam eam adeo diligenter, atq; accurate describit, vt melius vix potuerit, & omnia ob oculos ponit; ac omnino rem militarem cum optime calluisse necesse est; nam secus militaria tam bene explicare nequiuisset. At verò pugna naualis Atheniensium, & Lacedæmoniorum in Historia de rebus gestis Græcorum, etsi memorabilis est, & magna inter duos potentissimos populos maximis viribus decertata, eam tamen vix attingit; nam duobus verbis narrationem absoluit; quo satis apparet quanta sit differentia inter autorem Anabasis, & illarum Historiarum; quod Leuctrica quoq; pugnæ descriptione confirmatur, ea enim non minori negligentia absoluitur: sciunt autem, vel qui summis labijs Historias attigerunt, qualis, quantaq; illa pugna fuerit.

Diod. *Diodorus quo minus diligenter actiones describat, eum tueri potest, quod Historias breuiter se scribere profitetur, quemadmodum supra iam diximus; id autem nescio an eius negligentiam, qua sæpe vtitur, excuset; nam, vt alia omittam, causam*

Lib.5. *recolit, qua Epaminondas priuatus in Thessalia militaret, & tamen paulò ante eum cum exercitu in Peloponneso reliquerat: eodem quoq; libro captum Pelopidam ostendit, paulo autem post petitum eum esse Ducem à Thessalis contra Alexandrum Phareum commemorat, nullo verbo de eius liberatione*

Iouius. *habito quod, & in Paulo Iouio iā supra animaduertimus: nam is quoq; Clementem Pontificem, & Carolum Quintum Imperatorem Bononiam perducit, deinde vero de discessu eorum adeo nihil dicit, vt alter Romæ, alter multo post in Germania*

Diodor' lib.13. *reperiatur: Idem Diodorus in explicatione pugnæ Naualis Syracusanorum cum Atheniensibus, diffusa nimis vtitur oratione & enim minutissima quæq;, & ad rem minime facientia prosequitur, vtiturq; poetica potius, quam Historica descriptione. E contra vero negligentissime pugnam Romanorum ad Alliam*

lib.14. *cum Gallis describit, quæ tamen narratio alia quoq; subire potest crimina, primum enim alieno inserta est loco, nam alibi*

de

de rebus Romanis velle se orationem habere iam dixerat; tum falsa, ait enim Gallos ab vrbe discessisse; eo quod aurum à Romanis accepissent; & multo post cum illis Camillum decertasse, & aurum, quod Roma exportauerant abstulisse, quæ omnia multo secus à Liuio describuntur, quem communis opinio sequitur: & vere is autor haud valde rerum Romanarum gnarus videtur. Apud Polybium pugna naualis, quam Romani Ducibus M. Attilio, & L. Manlio cum Carthaginensium Duce Hamilcare decertarunt, diligentissime, & militariter descripta est, itaut satis ostendat bellicæ Artis egregie se peritum fuisse: at vero secunda pugna cum ijsdem Carthaginensibus sane ab eodem autore negligentissime narrata, quæ tamen pugna, vel ex euentu, & victoria memorabilis intelligitur. Iam, *inquit*, non longe distabant à Mercurij promontorio, cum ex improuiso classem Carthag; quam obseruare hostium aduentum diximus; obuiam habuere; facto in eam repente impetu centum, & quatuordecim Carthaginensium naues plenas cœpere: *tantam itaq; pugnam duobus fere verbis describit, quod si dicatur leuiter eam attingere, propterea quod actiones primi belli Punici ad narrandum non susceperat, interrogandum erit, quam igitur ob causam cæteras eiusdem belli, tam diligenter prosequatur. Multas alias actiones describit, quas consulto prætermittimus, cum eadem hac ratione perpendi possint. Dyonisius actiones ciuiles commendabiliter narrat, magnamq; in ea re curam adhibuisse videtur; at vero militares vix attingit; nam de pugna, quam cum Hetruscis Romani fecerunt, quæ omnino maxima extitit, & ob cuius victoriam res Romana plurimum creuit, quemadmodum illemet ait, nec verbum quidem vnum dicit; quæ eadem ratione in omnibus fere alijs prælijs, & bellis vtitur, quod facile in bello clarere potest, quod cum Hetruscis Tullius gessit,* Hoc bellum, *inquit*, per continuos viginti annos sine vlla intermissione gestum, & vtriq; cum ingen-

Polyb. lib. 1.

Lib. 1.

Dyonis.

tibus

tibus copijs multas irruptiones in agrum hostilem fecere, & sæpius collatis signis pugnarunt, cum autem in omnibus prçlijs, & cum singulis Ciuitatibus, & cum tota gente commissis Tullius rem fæliciter gessisset, & tribus clarissimis triumphis ornatus fuisset, tandem eos qui imperium detrectabant, sponte frçnum recipere coegit. *De tanto igitur bello vix hæc pauca memoriæ tradit; ex quibus manifestum est ciuilia potius illum, quam militaria voluisse describere; quod tamen minime decebat eum qui facta Romanorum se velle scriptis tradere professus esset: Recte autem ab eodem autore explicatur ratio, qua obuiam itum est Coniurationi, quam agentes inierunt impulsu Tarquinij Superbi, quamuis circumstantias ipsius Coniurationis diligentius describi potuissent; eas tamen fortasse prætermisit, ne quibus medijs, rationibusuè, ab improbis ciuibus patria perdi possit, posteritatem doceret; à qua re minime cauit suam Historiam Salustius vt iam diximus; Qui autor breuiter admodum, non tamen omnino infçliciter pugnam C. Antonij Consulis contra hostes patriæ describit, in eoq; maxime laudandus, quod narrationi terminum præscribit eo loci, vbi maxime decebat, nam mortuo Catilina disiecto, ac internecione interempto eius exercitu, verè nihil erat reliquum, quod ad actionem pertineret, quam ad narrandum sibi sumpserat, In bello autem Iugurtino, quid Metellus aduersus Iugurtam molitus sit, ac præsertim in insidijs egregie describit,* bene, *inquit,* cognitis insidijs, paulisper agmen constit, ibi commutatis ordinibus, quod proximum hostes erat, triplicibus subsidijs aciem instruxit, *& quæ secuntur: eodem loco quæ feceris Iugurta pari laude exequitur; cæterum eius belli narrationem optime absoluisset, si capto Iugurta, quæ de pugna cum Gallis addit, prætermisisset; ea tamen Marij laudibus largiri voluit, atq; in eo spem, opesq; reip. sitas ostendere. Plutarcus mores potius, quam actiones describendos sumpsisse, pluribus ipse locis testatur, &* nos,

Saluftius in Coni.

Plutarc'

nos sæpe iam diximus. Hærodotus bellum Græcorum cum Persis non male describit, illud enim sibi ad narrandum sumpserat; verum tot adhibet digressiones, vt Episodicus Historicus iure appellari possit. Appianus Alexandrinus, etsi omnes fere alias actiones negligentissime narrat; pugnam tamen qua L. Scipio Antiocum superauit ægregie admodum explicat, itaut hæc sola fere actio in vniuersa illius Historia narrata sit laudabiliter. Q. autem Curtius, vt in cæteris alijs partibus iuueniliter, ambitiose & vaniloquenter, ita quoq; in actionibus describendis, se gerit; propterea minimum ex eo prudentiæ lectores adipiscentur; quod idem iudicium si quis de Paulo Iouio ferat, haud multum aberrabit à veritate. Herodianus actiones militares aut nullas, aut breuissime describit; itaut in ciuilibus tantum laborare voluisse videatur, in quibus tamen sæpenumero haud satis diligens est. In Liuio actiones, quas primi decem libri complectuntur aridissimæ, propter antiquitatem enim tenuis aura famæ ad posteros delapsa est: at verò bellum Punicum secundum, & quod cum Philippo, Perseo, & Antioco gestum est, diligentiori cura elaborantur; quantum tamen ab homine ciuilium actionum incurioso, & militarium haud satis gnaro desiderari fas est. Iulius autem Cæsar pugnam cum Heluetijs bene describit, nam & initium certaminis, & progressum, & victoriæ causam explicat. In pugna cum Arionisto multa quæ contigerunt memoriæ tradit, diligentius tamen describi poterat. At verò pugna cum Neruijs, si ordinem hostilis exercitus demas, quem minime describit; optime narrata est, nam omnia, quæ in illa euenerunt, & quæ victoriam peperere diligentissime demonstrantur: omnino autem vt rerum actor eximius, ita earundẽ narrator ægregius extitit; Tacitus actiones militares non illaudabiliter, diligẽtius tamen, & melius Ciuiles narrat. Suetonius quoq; vt Plutarchus vitas, vel mores describere profitetur, non actiones; propterea sicco pede illas pertransit, nisi forte longior videatur, quam opus, ac fas esset,

Hærod. | Appian. | Q. Curt. | Iouius. | Hærod. | Liuius | Cæsar. Lib. 1. de bel. Gal. | Lib. 2. de bel. Gal. | Tacitus. | Sueton.

in ijs, quæ turpiter, ac nefarie à Tiberio, Caligula, Nerone, Domitiano Imperatoribus patrata sunt; omnino enim nefanda Veneris lenocinia, quæ in Tiberio præsertim describit, honestius
Diô Caſ. *ac laudabilius silentio præterire poterat. Dion Cassius inaniter verbosus est, quod vitium vniuersale Græcorum proprium semper fuit præterquam Hippocratis & Aristotelis. Ex nostris*
Guicc. *Guicciardinus pugnam ad Seminaram inter Gallos, & Ferdinandum Regem Consaluo duce, & rursus, quæ apud Ebolum*
Lib. 2. *certata est, vix attingit; eas diligentius & commendabilius*
Iouius. *Paulus Iouius describit. Pugnam Ecclesiasticorũ cum Vrsinis, in*
Lib. 3. *qua Dux Vrbani captus est, multiq́ alij clarissimi viri, aut capti, aut interempti, idem Guicciardinus vnico fere verbo absoluit:*
Lib. 4. *eadem negligentia Pisarum, & Fauentiæ appugnationem explicat: Pugnæ ad flumen Addam, in qua captus est Bartholomeus Aluianus omnino pudet, adeò paucis narrationem enecat, sed quid mirum de his? si pari socordia alias duas fama,*
Lib. 12. *& factis celebres commemorat, hoc est illam, qua cum Heluetijs Franciscus Gallorum Rex ad Marignanum decertauit; aliâ qua idem Franciscus apud Ticinium captus est, quæ etsi omnibus de causis ingentes fuerunt, ac memoria dignissimæ, ab illo tamen vix attactæ sunt. In ea verò narranda, quam ad Tarum Carolus Octauus pugnauit, non modo negligenter, sed ob-*
Lib. 1. *scure, & fere inuerisimiliter se gerit. Multo tamen peius hanc*
Iouius. *eandem pugnam Iouius describit: agregie verò Philippus Co-*
Comin. *mineus, qui affuit: At verò pugna inter Pontificios, & Gallos,*
Lib. 10. *in qua Gaston de Fois occubuit ab eodem Guicciardino optime descripta est, ita ut in ea vix aliquid aliud sit, præterea desiderandum, & ac profectò mirum est Historicum in actionibus militaribus haud multum commendabilem in ea describenda*
Comin. *tam ægregie excelluisse. Apud Philippum Comineum mirifice placet non modo consilij, vt diximus, sed actionis quoq́ narra-*
Ceſ. Câpana. *tio, qua Leodienses noctu Ludouicum Regem, & Carolum Duce aggressi sunt, & captiuos facere tentarunt. At Campana*

landa-

laudabiliter, & Historice narrat obsidionem Antuerpiensem, cum omnibus suis accidentibus: & expugnationem Haerlemi: oppugnationem Comari, ac Iauarini, itaut Historici huius narrationes nemini ex antiquis, ac celebrioribus concedere videantur: possent quidem eloquentius describi, & ad aures mollium lectorum demulcendas accomodatius; possent quoq; forte liberius dici quadam, ac de ijs praesertim qui adhunc viuunt; sed quod mihi pra ceteris Historicis laudabilissimũ videtur, aptissime narrat ad gignendam prudentiam; nam actiones cum omnibus suis accidentibus, & circumstantijs, clare, enucleate, ac diligentissime ob oculos ponit, ac praesertim militares, siue illa pugna campestres sint, siue obsidiones, siue oppugnationes.

In bello Belgico. In Hist. vniuers.

De Actionibus Historiae Vniuersalis. Cap. XXXII.

IN singulis quoq; Historia vniuersalis actionibus ea seruanda sunt, qua supertus demonstrauimus; propterea hic noua de illis tractatio instituenda non est, vt nouum aliquod preceptum adiungamus, sed cum Historia vniuersalis plures actiones complectatur; ostendendum videtur qua ratione, atq; ordine illa disponi, ac simul iungi debeant, vt in vnum veluti corpus coalescant: Vniuersalis itaq; Historia vel est rerum omnium gestarum vnius Principis, Imperatorisuè, aut multorum, vt qua sunt totius orbis, vel partis illius: siue sit omnium temporum, siue certi alicuius. Primum dicamus de Historia vnius Principatus à qua facile nos expedire posse videmur, nam suo ordine vt gesta sunt, ea narrare oportet: quod si Agens per ministros, magistratusq; suos vno eodemq; tempore plura operetur; videndum est quid prius inceptum sit, illudq; priore loco commemorandum, quod tamen diligẽtiore indiget perscrutatione; actiones enim vnius agentis nexum quẽdam habere videntur cum ab eodem proficiscantur auctore, & si per ministros fiunt; quod

si nexus huiusmodi sit, qualis est inter causam, & effectum, omnino, quæ alterius causa videtur priore loco narranda est, quod autem vna actio sit alterius sæpe causa satis constat, nam quia Romani Carthaginensibus Sardiniam ademerant, iniquisq; , vt illi arbitrabantur, pacis conditiones imposuerant, coacti sunt Carthaginenses secundo cum iisdem per septemdecim annos bello contendere: quæ verò huiusmodi nexum minime habent pro temporum ratione narranda, prius quidem quæ priores; posterius verò quæ posteriores extitere, ita tamen vt ordo temporis distincte intelligatur, præsertim quando ex eius obscuritate infirmari, debilitariuè fides narrationis posse videtur; quod paulo post clarius demonstrabimus in narratione quorumdam bellorum maximi Cæsaris; quod si eodem tempore peractæ sint; cum narratione vnica explicari minime possint, plures faciendæ sunt necessario; in multitudine autem nisi ordo adhibeatur facile oritur confusio. Itaq; si ex multis actionibus æque bene singulas priore loco describere Historicus valeat, eius consilio permittitur quam primam narrare velit. Verum si quid ab hac Arte auxilij proficisci potest id præstare tentandum; forte enim aliqua delectus ratio est etiam in huiusmodi actionibus narrandis, quam Historicum seruare decet; nulla autem videtur sumi posse à Prudentia; quæ est vltimus finis Historiæ; nam quæcumq; prior, vel posterior actio narretur, dummodo ea seruentur, quæ seruanda esse monuimus, nihil id refert: à fine etiam intrinseco, hoc est à cognitione actionum nihil deduci posse constat, dummodo enim bene cuncta explicentur, eorum cognitio facile habetur; à fine autem præceptiones in artibus ducuntur: quare nullum videtur posse necessarium præceptum constitui. Cum igitur nullus adhiberi possit ordo ratione rerum, vel temporis, quod vnum, idemq; sit omnium videtur saltem is adhibendus, qui est in animo Agentis, Agens enim ea quæ facit, primum concipit mente, & quamuis eodem tempore vel per se, vel per alios multas gerat actiones, duplicem tamen in animo

Inter plures actiones eodē tempore gestas, q̄ prior ab Hist. narranda.

ordinem

ordinem habere possunt, non enim vt omnes simul fiunt, ità simul mente percipiuntur; sed cum in animum induci singulas oporteat, prius vna concipitur, quam alia; ità vt prioritas temporis in animo saltem agentis reperiatur. Alter ordo est, nam licet multa decernantur ab agente actiones tempore eodem efficiendæ, non tamen omnium pœnes ipsum par cura est, etenim magis curantur, grauiores siue propter nobiliorem finem, siue propter maius periculum: quemadmodum autem maiorem vim habent in animo, quæ grauiores videntur, quam quæ prius conceptæ sunt; ita ordo qui est ab actionum magnitudine, grauitateq; præferri debet: propterea rerum gestarum, quæ ab vno agente fiunt eodem tempore, illæ narrandæ prius videntur, in quas animum agens magis intendit, & quarum maiore cura tenetur; nam verisimile est, si ordo temporis in agendo ad eius libitum esse potuisset, illas futuras fuisse priores; eæ enim semper prius geruntur, cæteris paribus, quæ magis vrgent animum, & quorum finis magis expetitur. Si autem huiusmodi sit conditio actionum, quæ simul fiunt, vt facili negotio, ac breui sermone quædam narrari possint; quædam verò longiore egeant oratione, haud absurdum est ab illis primum se expedire Historicum, vt diligentius ijs queat insistere, easq; accuratiori descriptione explicare. Quod si accidat diuturnioris actionis fieri narrationem; agentem autem dum illa geretur aliam incoasse, interrumpenda videtur narratio, admiscendaq; alterius rei nouæ commemoratio, ac simul ita omnes coniungendæ, vt vnum quasi corpus efficiant, quemadmodum est earum vnum, idemq; tempus; præsertim si huiusmodi sint, vt quandam habere videantur ad se inuicem relationem, & quod altera alteram adiuuet, vel impediat, vel deniq; quod altera sine alterius notitia cognosci minime possit, Horum ordinum L. Floro nullus placuit in ijs Historijs, quas de rebus gestis Resp. Romanæ per compendium scripsit; tempora enim confundit ac præposterat, & quod prius gestum est posterius commemorat; L. Florus

X 3

memorat; nulla vt mihi videtur commendabili ratione; nam per capita res eiusdem generis digerere voluisse videtur; ob eamq; rem bella à coniurationibus distinxisse. & si eodem tempore acciderunt, & separatim seditiones, coniurationesq; militaria, ciuiliaq; narrat, quæ simul sæpe contigerunt: Nunc de actionibus plurium agentium, veluti earum Historiarum, quæ certi alicuius temporis, vel omnium actiones describunt. In ijs quando temporum ordo adest, is absq; dubio seruatur; sin verò plures simul gerantur, commemorandæ sunt breuiores priore loco; quod si d um geruntur, aliæ diuturniores contingunt, siue in eadem, siue in alia parte terrarum; non absurdum est interrupta narratione illas describere: dummodo eo loco interrumpatur, vbi aliqua etiam in re gesta quies fuiße videatur, & vbi pars aliqua Historiæ absoluta sit: nam in mediam narrationem, ac minime absolutam cuiuscumq; harum partium immittere alterius rei gestæ memoriam; non est inserere alienum, sed veluti vulnus Historiæ infligere, continua enim dissociantur: Si verò post vnius actionis absolutā narrationem alterius narratio collocari potest, id omnino commodius videtur, nam insitio illa diuersarum actionū aliquam semper habet obscuritatem, memoriamq; lectoris necessario affligit; cum post longā seriem dictorū præterita repetere cogatur, & sequentibus ad nectere; quod incommodum proprium est vniuersalium Historiarum, atq; illarum præsertim, quæ multorum agentium facta commemorant. Potest autem vna post aliam describi quando ad intellectionem earum mistio minime videtur necessaria; non est autem necessaria in illis actionibus, quæ dum peraguntur nullum habent ad inuicem nexum, sed omnino dissita sunt, ac dissociata.

Ex

Ex his fertur iudicium de Historicis.

Traditis his perceptis occurrit statim non spernenda dubitatio in ijs libris, qui de bello Gallico extant sub nomine maximi Cæsaris, quam perpendere oportet, vt quomodo ex temporum confusione soleant in narrationibus oriri difficultates intelligatur. Itaq; C. Cæsar post bellum Heluetiorum confectum, cum Ariouisto Germanorum Rege certatum esse commemorat; ait autem cum ijs Germanis esse pugnatum, qui Rhenum transiuerant Sequanis arcessentibus opem laturi, qui Aeduos prælio vicerant, Sequanos patria pellebant, vniuersæ Galliæ minabantur. *Quærendum igitur est quo tempore in Galliam isti venerint; necesse est autem, vel ante bellum quod cum Heluetijs Cæsar gessit, vel eodem tempore, vel post; quodcunq; autem dixerimus non paucis vrgetur difficultatibus: Nam si ante bellum Heluetiorum dicamus, in has incidimus dubitationes: Primum enim hoc bellum ante alia omnia gerendum fuisse videtur ijsdem de causis, quibus ipse ad illud suscipiendum se adductum esse dicit, & præsertim* quod Aeduos, fratres, consanguineósq; sæpenumero ab senatu appellatos in seruitute, ac ditione Germanorum teneri videbat, eorumq; obsides esse apud Ariouistum, ac Sequanos intelligebat; *Hos igitur auxilio non subleuasse, cum primum in Galliam venit haud verisimile est: præterea si erant in seruitute, ac ditione Germanorum qua ratione poterant equitatu contra Heluetios Cæsarem iuuare, absq; illorum permissu; dicit enim*, nam equitatui; quem auxilio Cęsari Aedui miserant Dumnorix præerat; *& quomodo dicit* conuocatis eorum Principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, *in dictione Germanorum tenebantur? imo cum Aedui dicant de Principibus, & equitatu*; cum his Aeduos eorumq; clientes, semel, atq; iterum

De bello Gal.

armis

armis contendisse, magnam calamitatem pulsos accepisse, omnem Nobilitatem, omnem Senatum, omnem equitatum amisisse. *De Dumnorige autem quid dicit?* Seditiosa, atq; improba oratione multitudinem deterrere ne frumentum conferat; quod præstare dicat, si iam Principatum Galliæ obtinere non possint, Gallorum, quam Romanorum imperia perferre; neq; dubitare quin si Heluetios superauerint Romani vna cum reliqua Gallia Aeduis libertatem sint erepturi. *Hæc igitur omnia nondum in Galliam venisse Germanos ostendunt, nam qui in seruitute Germanorum essent, nulla ratione poterant, aut Imperium Galliæ appetere, aut Romanorum, Heluetiorumuè Imperia eligere; non enim sequebatur, si Heluetij victores discessissent futuros Aeduos in eorum potestate, nam Germani, qui multo plures, & bellicosiores essent, illos ab iniurijs Heluetiorum defendissent: & in summa non erat eorum consilium, vt dixi, cuius imperio subesse vellent, decernere, cum iam Germanorum Armis cessissent. Dum autem bellum ab Heluetijs pareretur, hæc de Orgetorige Heluetio dicuntur.* Is sibi legationes ad Ciuitates suscepit; in eo itinere persuadet Castico Catamantaledis filio Sequano, vt regnum in Ciuitate sua occuparet, quod pater ante habuerat; ita Dumnorigi Aeduo fratri Diuitiaci, qui eo tempore principatum in Ciuitate sua obtinebat, vt idem conaretur persuadet; *Quo pacto itaq; si & Sequani, & Aedui Germanorum seruitute premebantur poterat his Orgetorix persuadere vt Regnum suæ Ciuitatis inuaderent, quod iam toties victores Germani obtinerent? & præsentibus Germanis qui potuit non modo ista vel Dumnorigi, vel Castrico proponere, sed apud Sequanos, vel Aeduos obire legationem? Si enim ab Heluetijs, qui Galli erant legati missi essent ad Gallorum oppressas Ciuitates, nō ne verisimile est statim mali aliquid suspicaturos fuisse Germanos, nouarum regionum recenti victoria incolas? Illud*

lud verò absurdius, quod de Heluetiorum transitu per Sequanos dicitur: nam cum tanta inter Aeduos, Sequanosq; intercederent inimicitia Dumnorix Aeduus à Sequanis iter pro Heluetijs impetrat; deinde Sequani qui neq; hiscere quidem audebāt, qui tertia regionis parte pulsi propter nouum Germanorum aduentum de reliqua pertimescebant, *Heluetios per suos fines ire patiuntur; nulla interim de Germanis qui illis dominabantur facta commemoratione: quis igitur arbitretur Sequanorum potius subditorum ius fuisse iter Heluetijs permittendi, quam Germanorum, penes quos erat dominatio? Hos autem nondum in Regno bene firmatos quis credat Heluetijs armatis, nouasq; regiones quærentibus transitum per sua loca permissuros fuisse, cum & ab Heluetijs, & à Sequanis, Aeduisq; vehementer sibi esset pertimescendum? Ab illis quidem ne nouas quærētes sedes in suis potissimum considerent; ab his verò ne ducti odio; Heluetiorum auxilio ad se pellendos vterentur. Ante igitur bellum Heluetiorum in Galliam Germanos venisse nequaquam verisimile est: At neq; etiam eodem tempore; nam cum Primores Aeduorum, magnusq; equitatus in Castris Cæsaris esset, ab eo ad patriam defendendam missi fuissent, vel ipsi eius bona venia discessissent; præterea ministrare frumentum minime potuissent, quod Cæsar exposcebat; quod cum ab illis non suppeteretur in Germanicum bellum causa non refertur, sed in Dumnorigem, qui Heluetijs fauebat, vt ipsorum auxilio patriæ regnum obtineret, quod scilicet, iam Germani obtinuissent: Præterea hæc verba consideranda sunt, ait enim Cæsar: multa sua legationi Ariouistum respondisse inter illa verò;* Aeduis se obsides redditurum non esse; neq: ijs, neq; socijs iniuria bellum illaturum, si in eo manerent, quod conuenissent: stipendiumq; quot annis penderent; *alio autem loco idem Ariouistus dicit,* si iterum experiri velint paratum decertare; si pacem malint iniquum esse de stipendio recusare, quod sua voluntate

 ad

ad id tempus dependerint. *Si igitur stipendium erat annuum, & ad illud tempus persoluerunt, necesse est aliquos annos illuc vsq; elapsos esse, (ad id enim tempus) non semel tantum significare videtur, sed multoties. Deinde dicit Cæsar:* Sequanorum regionis partem à Germanis occupari, alteram ab Herudo, qui paucis mensibus ante Rhenum transierat; *igitur aliquot menses antequam congratulatum Cæsari Sequani, & Aedui venissent, secundo Germani Rhenum transierant; dicamus tres menses ante; at verò antequam isti transiuissent, & transiuerat Ariouistus, & cum Aeduis decertauerat; Sequanisq; Regionis partem eripuerat, quæ non paruo gesta esse tempore credere par est, dicamus duobus mensibus antequam Harudus in Galliam veniret; quinq; igitur menses saltem antequam congratulatum legati venerint Ariouistus in Galliam copias traiecerat; at ex quo inceptum est bellum contra Heluetios, ad legationis illius tempus quinq; menses interlabere minime potuerunt, nam vt in extremo libri scriptum est,* eadem æstate bellum Heluetiorum, & Germanorum confectum est: *igitur quinq; menses effluxerunt à principio belli Heluetici ad finem vsq; Germanici, ac fortasse pauciores, si æstati ver non adijciatur: legatio autem antequam Germanicum bellum inchoaretur ad Cæsarem missa est: quare à principio belli Heluetici ad legationem quinq; menses, non effluxerant, effluxerant autem ex quo Ariouistus in Galliam venerat; ergo eodem tempore quo bellum contra Heluetios gerebatur in Galliam Germani minime transierunt: & præterea quis est, qui non videat, si eodem tempore venissent Germani, facile potuisse hoc Cæsarem agnoscere, cum in finibus Aeduorum esset; nam vel in Aeduis, vel prope illos pugnatum est, vt ex eo apparet, quod Cæsar Bibracte, Aeduorum oppidum quod non amplius mille passuum. xviij. aberat, iter verterat; cum ab Heluetijs insectatus eodem loco, decertare coactus est; quare si tam prope Sequanos, & Aeduos hoc bellum gessit, quis non vi-*

det

det, facile illi futurũ fuisse & Germanorũ transitum, & bellum tum Aeduis cognoscere, & Sequanorum calamitates? quæ tamen omnia legati in Concilio tamquam arcana quædam Cæsari aperiunt; & præterea si legatio post quinq; menses obita est, ex quo Germani transierant; & eodem tempore Heluetiorum bellum gestum est, quinque mense post victoriam gratulatum Cæsari Sequani, & Aedui miserunt cum tamen in eorum finibus esset; hoc autem inuerisimile est; nam gratulationes citò fiunt, ab ijs præsertim, qui huius officij prętextu aliquid petere volunt: Igitur non eodem tẽpore quo cum Heluetijs bellum gerebatur Germani Rhenum trãsiere: sed neq; etiam post: Nam sicut in aduentu Heluetiorum cum se ab illis tueri non possent, Aedui statim auxilium à Cæsare petierunt; multo magis in aduentu Germanorum petijssent, cum & terribiliores Heluetijs viderentur, & Cæsar eorum propius finibus esset, & auxilio quod Cæsari in bello Heluetiorum misissent, diligentiq; nauata opera multo magis à pop. Rom. subleuari mererentur, neque passus esset Cæsar cum & Sequani, & Aedui amici essent pop. Rom. simul armis decernere; sed ipse eorum lites autoritate sua dirimisset, vt semper pop. Rom. mos fuit, neq; etiam permisisset, vt Germani in Galliam vocarentur à Sequanis, tum quia turpe fuisset pop. Rom. tum vero etiam periculosum, vt ipse recensendis causis, quæ illum ad gerendum cum Germanis bellum impulerunt commemorat, sed si legatio ad Cæsarem venit quinq; menses (vt probauimus) post Germanorum aduentum; eadem autem ęstate vtrumq; bellum confectum est; aut enim in fine eius primi libri; Cæsar vna ęstate duobus maximis bellis confectis? *Quis nõ videt post bellum Heluetiorum Germanos venire non potuisse? nam ad minus post quinq; menses, ex quo venerant cum illis Cæsar pugnauit, neq; enim legatio, (vt diximus) prius venerat; at inter pugnam Germanorum, & Victoriam de Heluetijs tot menses non interlapsi sunt, cum vtrumq; bellum sit ęstate vna confectum: Adde quod legatio*

ab Aeduis, Sequanisq; obita fuit; vt verisimile est; statim post Victoriam de Heluetijs; at verò non minus, quam quinq; menses post ingressum Germanorum in Galliam, (vt diximus:) Præterea Cæsar ostendere videtur ante bellum Heluetiorum venisse in Galliam Germanos, imò antequam ipse in Galliam proficisceretur: nam in colloquio dicit Ariouistus, se prius in Galliam venisse, quam pop. Rom. *idq; multo apertius idem Cæsar asserit, vbi de moribus Gallorum disserit: quod tamen qua ratione dicatur considerandum est; nam multo prius quam Ariouistrs, vel alius Germanus in Galliam veniret pop. Rom. arma traiecerat; multo enim antequam Cæsar illuc Proconsul iret Resp. Prouinciam obtinebat, quod & ipse in eodem colloquio dicit. Igitur vt summatim dicamus; nec ante, nec post, nec eodem tempore, quo gestum est bellum cum Heluetijs Germani in Galliam ex dictis C. Cæsaris venire potuerunt. Quæ igitur de transcensu Germanorum in Galliã dicuntur dubiam*
Liuius. *habent fidem. At verò in Liuio, qui Scriba pop. Romani appellatur, cum vniuersa Romana Resp. progressum scribere profitetur, sane tanta vtitur negligentia, vt acrem censuram subterfugere minime possit; nam vt pauca quædam attingamus,*
Lib. 1. *cum multa suis locis dixerimus, Fidenates Colonia Romanorum appellati, quæ apud illum prima est, nullibi tamen narratur, quando, aut quem in vsum, aut qua vrgenti necessitate deducta sit, nec quomodo: Deinde non multo post.* Latini,
lib. 1. *inquit*, cum quibus Tullo regnante ictum fœdus est. *De hoc fœdere nec verbum quidem, cum tamen forte primum sit, quod Romani iecerunt, nam cum alijs pop. vel induciæ, vel bel-*
Lib. 3. *lum intercedebat. Alio loco* Augures iussos adesse ad Regillum lacum fama exierat, locumq; inaugurare; vbi auspicato cum pop. agi posset, vt quicquid Romæ vi Tribunitia rogatum esset, id comitijs ibi abrogaretur: omnes id iussuros, quod Consules vellent, neq; enim prouocationem esse longius ab Vrbe mille passuum, & Tribuni

buni

buni si eo adueniant in alia turba Quiritum subiectos fore Consulari Imperio. *Ecce paucis verbis, quam multa innuuntur, quæ ab Historico rerum Rom. describenda erant. Inaugurandum esse locum Comitiorum; Prouocationem non esse longius ab Vrbe mille passus; ibiq; Tribunos nullam habere autoritatem. Alibi* Consules creati L. Ebutius P. Seruilius Kl. sextilibus vt tunc principium anni agebatur, consulatum inierunt *paulo post*. Idus tamen Maiæ venere nullis subrogatis magistratibus. *Alibi verò de Sergio, & Virginio Tribunis militaribus*: negare se ante Idus Decembris solemnem ineundis magistratibus diem honorem habituros: *Hęc vel falsa; vel sæpius immutata; quorum ratio atq; institutio tradenda erat ab vniuersali Scriptore rerum Romanarum: est autem aduertendus ordo, Dyonisij, qui, & ipse vniuersalem Reip. Romanæ Historiam describit, non enim tempora seruat, sed actiones ciuiles à militaribus disiungens prius vnas, deinde alteras narrat; propterea dicit.* Res igitur quas Rex iste militiæ gessit, hæ fuerunt; res verò domi gestæ sunt hæ, quas mox dicam, *& ante dixerat de Tulio*. Atq; hæ quidem res sunt memorata dignæ, quas ab illo viro in Rep. administran. domi gestas ferunt. Res verò foris gestæ multæ, & variæ narratur. *Et alibi*: Atq; hæc sunt, quæ Tarquinius militiæ gessit, at domi res gestę hæc sunt, *& alibi*: sed prius, de rebus, quas egit in Rep. mentionem faciamus.

Lib. 3. Lib. 5. Lib. 3. Lib. 3.

An Orationes sunt inserendæ in Historia. Cap. XXXIII.

Historiæ partes hæ sunt quas hucusq; explicauimus, ijsq; Historicum opus vniuersum absoluitur, atq; perficitur; propterea cum nullam addi oportere censemus, non difficili negotio grauis quædam soluitur dubitatio; Vtrum scilicet Historia

ria sint inserendæ orationes, ac digressiones, quemadmodum nobilissimos plerosq; fecisse Historicos videmus: Considerãdum est autem priore loco de orationibus hoc modo: Si partes Historiæ tot sunt quot explicauimus, necesse est orationes partem aliquam ex dictis esse, vel omnino extraneas, ac superuacuas; videndum est itaq; num aliqua ex illis esse possint. Primum autem animaduertẽdum est quid nomine orationis intelligamus, non enim omne, quod verbis enunciatur oratio illa est de qua sermonem habemus, sed illud tantummodo quod aliquis eorum, quorum facta narrantur in Historia dicit ad persuadendum, est enim oratio instrumentum persuasionis; instrumentum autem à fine habet essentiam. propterea non est appellanda oratio siue concio illa cuius non sit finis persuasio: finis autem Historici non est persuadere; oratione igitur vti non potest vbi ipse loquitur. In proœmio autem loquitur Historicus; quare conciones adhibere in eo non debet: Cognitionem quoq; Agentis, ac finis ipse tradit, neq; potest ijs partibus vlla attribui persuasio: de appetitu autem finis aliter sentiendum esse videtur; dictum est enim causam huius interdum esse finis bonitatem per se interdum verò per suasionem ab alijs factam; propterea non est absurdum cum agens orationibus impulsus sit ad aliquid appetendum, illas narrationi adiungere: sequitur consilium quod plerumq; concionibus transigitur; rogantur enim prudentiores, qui sententiam suam sæpe pluribus verbis significant, præsertim in re graui: & quoniam in consultationibus quæritur non modo quid agendum, & qua ratione, sed etiam quibus instrumentis, & aliquando eorum apparatus, propterea consilia, instrumenta, apparatusq; Instrumentorum concionibus explicari posse videntur: subiectum verò siue materiam locum, tempus, ipsamq; actionem constat Historici tantum narratione innotescere, nullamq; persuasionem admittere; nisi quis forte dubitet de actione, ad hanc enim vel inchoandam, vel auidius persequendam sæpe Agentes oratione vti consueuerunt. Qua-

propter

propter in appetitu finis, in consilijs, aliquando etiam instrumentis, apparatuq; illorum, & aggressione actionis enarrandis conciones adhiberi posse videntur: Id autem diligentius considerandum; dictum est enim non omnia in Historia esse narranda, sed ea tantum quibus prudentia comparari possit; est autem prudentia agendorum ratio, quæ in Historia addiscitur exemplo actionum; concionari autem non est aliquid agere, sed dicere, persuasionemq; efficere conari; at persuadendi ratio ab Historia petenda non est; propterea inserendæ non videntur persuasiuæ orationes, vt ab ijs quomodo orandum sit addiscatur. Si quis autem dicat inserendas esse rerum causas, sæpe autem orationes esse causas gestorum, vt etiam paulo ante diximus; facile respondetur; non enim dicimus causas esse prætermittendas, nam si quid aliorum persuasionibus gestum sit illud in Historia explicare oportet, scilicet agente persuasionum impulsu finem actionis expetiuisse, vel actionem fuisse aggressum: sermonem autem persuadentium describere minime videtur necessarium: & præsertim si simplex, & pura persuasio sit, voco autem simplicem, illam, quæ fit per commotionem affectuum: Verum ex alia parte videtur speciem quoq; affectuum quibus quis persuasus est, describi oportere; vt enim multiplices sunt, & qualitate varij, ita ab ijsdem qualitatem diuersam, ac sæpe etiam euentus alios sortiuntur actiones, plurimum enim differt vtrum aliquis bellum susceperit, libidine impulsus, vt scilicet in militiam viros emittens vxoribus illorum potiatur; an verò gloriæ studio, aut vindictæ, aut imperij, quæ differentia tum in se maxima est, tum verò maximorum aliquando accidentium causa; multumq; diffidentium inter se; non modo in animo agentis, sed eorum etiam, quorum opera vtitur: nam qui libidine, vel amore ducitur illo extincto, vt sæpe facile, ac citò extinguitur; actionem omittit; qui autem cupidine laudis impellitur haud facile desistit, elatioriq; animo rem & aggreditur, & prosequitur; hæc eadem quoniam nihil tàm occultum

est

est quod aliquando non innotescat, ijs cognita quorum ministerio, auxilioq; agens nititur, manifestum est quam varie afficere illos queant; quis enim non multo libentius Principi obsequatur, qui suas, vel subditorum, vel Amicorum vlcisci velit iniuras, aut eius qui gloriam quærat in armis, quam eius, qui, vt Veneri commodius indulgeat, militiæ prætextu viros ableget à patria? Hæc eadem cognouisse plurimum conducit lectori ad percipiendam ex Historia prudentiam: propterea noscendæ sunt rationes, affectusq; ad appetendum aliquid, vel agendum impellentes, non per se vel auxilio, & ministerio suadentium, ob eamq; rem conciones huiusmodi non absurde adijciuntur Historiæ. Illæ tamen inanes sunt, quas creberrimas Historici ad cohortandos milites adhibent; nulla enim prudentia illis addiscitur & ad cognoscendam actionem minime sunt necessariæ, cum neq; etiam necessariæ ad agendum fuerint; imo plerumq; falso effingantur: quod si forte accidat milites detrectasse pugnam itaut coactus sit Dux concionari; & verbis eorum mutare sententiam, quod Maximo Cæsari contigit in Gallia contra Ariouistum, tunc prætermitti oratio non potest; cum ea fuerit actionis causa, vel per se, vel sine qua non; ex harumq; numero censendum est eas esse quas Historia inserendas Dyonisius arbitratur, inquiens, miror autem illos, qui res bello gestas accurate scribendas putant, & nonnunquam in vnico prelio plurimum verborum consumunt, dum locorum naturam, & armaturę proprietates, & modum quo acies instructæ fuerint, & imperatorum adhortationes, & res alias quæ alterutris victoriam pepererint oratione prosecuntur, dum verò ciuiles motus, & seditiones describunt, eas oraiiones, quibus res incredibiles, atq; admiraudæ peractæ sunt memoriæ prodendas non arbitrantur: *facienda itaq; videtur concionum distinctio, aliæ enim sunt, quæ cõsilia continent, hoc est quid agendum quo modo, quibus instrumentis, & has præterire non decet: aliæ*

Lib. 2. De bel. Gal.

Lib. 3.

aliæ verò persuasionem siue per argumenta, & rationes, siue per affectuum commotionem; vel alio modo, hæ autem habitæ sunt, vel ad persuadendum appetitum finis, vel vt actio inchoata peragatur; quæ habitæ sunt ad persuadendum appetitum describi debent; quæ verò ad rem aggrediendam in duplici genere sunt, nam vel sine illis agens nullo modo actionem aggressus esset, vel aggredi, aut perficere noluisset, & hæ semper describendæ, vel aggressus esset, ac perfecisset nihilominus, & hæ in Historia superfluæ sunt, vanitatemq; Historici patefaciunt, & multum Historiæ fidem labefactant.

Quomodo inserendæ sint Orationes. Cap. XXXIV.

QVoniam verò conciones multis modis interponi possunt, reliquum est vt videamus qualis eorum sit meritò laudabilior; nam primum Historicus illas ipsas inserere potest, quę verè habitæ sunt; potest etiam non easmet, sed à se confictas siue compositas adhibere; ab eo tamen acceptis sententijs qui habuit Orationem, addens ipse locutionis ornatum; easuè dupliciter enunciare obliquè vel rectè. Igitur si verè habitæ Orationes apponantur, cum necessario diuersus eorum sit stylus ab eo, quo Historicus vtitur, quisq; enim suum habet dicendi genus; non omnibus probabitur illa multorum dicendi generum mistio: præsertim cum facile fieri possit, vt incompta pleraq; ac barbara ab ijs; qui perorarunt sint dicta; in illis præcipue linguis in quibus multa sunt idiomata, vt in Italica, qua vtimur nostra tempestate: propterea si quis Hetrusce scribens Historias, quæ lingua maxime inter nos hisce temporibus commendatur, & Venetijs Venete habitam Orationem, aut Longobardice interponat; quoad locutionem multis Historiam fœdasse videbitur; ac sanè mixtio linguarum, Poetis fortasse permittitur, earumq; præcipue, quarum par est laus, dummodo id temere non Mixtio linguarũ qua ratione p̃ter pmittitur.

intelligatur: nam Poetæ præsertim epico non permittitur orationem longam peregrinis vocabulis, ac locutionibus texere; sed alienum aliquod verbum inter multa propria tamquam hospitio excipere, vt in arte poetica commodiore loco dicetur propterea multo minus Historico fas est concionem peregrinis vocabulis compositam interponere; quod si eiusdem linguæ sit, nullum videtur absurdum; nisi fortaſse alicui videatur styli varietas molestiam exhibere poſſe legenti, quemadmodum diximus. Alia ratio inferendi Orationes est, sententias tantum accipere, easq; alijs verbis, ac locutionibus enunciare: in quo nulla falsitas est, signum huius, quod qui ex aliena lingua libros transferunt, quiq; vocantur interpretes, siue traductores, cum sententias seruent, verba immutent, falsitatis crimine non arguuntur: imo cum in Oratione sit materia, siue subiectum, de quo sermo habetur, quemadmodum in libris de elocutione à nobis dictum est; verbigratia de bello Turcis inferendo, & præterea sententiæ vniuersales, quæ vel aſſentiunt, vel diſſentiunt vniuersamq; rem complectuntur, & particulares, quæ sunt horum particulæ, vel modi quibus enunciantur; seruatur veritas si in eadem materia maneant eædem vniuersales sententiæ immutatis particularibus; quod omnino fateri oportet; nam de eadem re idem plures dicere poſſunt, diuerso tamen modo, si quis enim bellum inter Cæsarem, Pompeiumq;, aliter eſſe gestum dicat, ac ipse Cæsar, cui veritatis laus ab ipsis quoq; inimicis tributa est, mendax haberetur: at verò ijsdem vti particularibus sententijs non modo neceſſarium non est, sed fieri nulla ratione potest, nisi Cæsaris Historiæ transcribantur; vnusquisq; enim proprium habet stylum, qui non verbis tantum, sed etiam sententijs constat, vt alibi diximus: propterea Cæsar sententia propria vtitur, alius verò aliena, vel si vterq; aliena Cæsar quidem ab antecedentibus eam ducet, alius verò à comitantibus, vel consequentibus. Quapropter potest Historicus immutatis verbis, atq; sententijs particularibus, verum dicere, dummodo

vni-

vniuersales sententias non immutet: vt si quis ad aliquid persuadendum in re gesta certis rationibus, vel affectibus vsus est, eadem non immutata accipere Historicus debet, nam hoc ad essentiam veritatis pertinet: his autem seruatis potest concionem ipse componere, siue obliquam, siue rectam: quid autem horum maxime deceat perscrutari oportet. Primum itaq; vtrumq; fieri posse certum est, cum & veritas in vtroq;, & Historiæ vtilitas seruari queat. Videtur tamen qui rectas Orationes facit, multa necessario sequi lenocinia verborum, ne incultæ videantur, & vt altius assurgant: preterea in illud facile labi potest, vt raptus eloquentiæ gloria multa adiungat, quæ dici potuisse videantur, etsi verè dicta non sunt: hinc sequitur falsitas, non modo enim sententias particulares commutat, sed etiam vniuersales, nouasq; affert, & à veris diuersas persuadendi rationes; quæ sine dubio veritatem corrumpunt: id adeo manifestum est, vt hoc maxime Historicis vitio ab eruditiorum censura versatur, nam eloquentissimas plerumq; Orationes quibusdam attribuunt, quas eos habuisse omnino inuerisimile est; quod si de verbis, ac sententijs tantum particularibus dicerent id criminarentur, quod reprehensione vacat; verum de rationibus dicunt, commotionibusq; affectuum, quas ab Historico ad libitum inuentas, atq; inuectas arbitrantur; hinc sequitur fidem Historiæ plurimum labefactari; ex hoc autem dictum est quid fiat: nam ex principijs dubijs conclusio certa deduci non potest. Qui verò obliquas faciunt Orationes summa tantum rerum capita attingunt, rationesq; præcipuas quæ causæ persuasionis, atq; actionis principia extiterunt. Hæc ratio inferendi conciones, & breuitatem habet, quæ grauitatem Historicam maxime decet, & cum videatur inania fama contemnere; ac eloquentiam minime ostentare, sed rerum gestarum non fucatã veritatem patefacere: plurimum dignitatis, ac fidei Historiæ acquirit. Quod autem de concionibus diximus de epistolis quoq; intellectum volumus eadem enim est amborum ratio. Verum

quia nobis obijci potest auctoritas earum Historiarum, quas optime conscriptas esse nos omnes credimus qui Catholicam fidem profitemur, in quibus tamen rectę conciones describuntur; huic quoq; dubitationi satisfaciendum esse censemus: Historiarum itaq; quarum praecepta hoc opere tradidimus, finis est prudentia, illarum verò quæ sacris libris, ac præsertim euangelicis continentur Christiana Religio. Deus enim ipse in illis narrationibus quid sit nobis credendum agendumq; ostendit, atq; imperat; ac propterea noua lex appellatur, lex autem præceptum est; quod de humanis Historijs dicere neq; possumus, neque consueuimus; est autem huiusmodi lex Domini, quæ non modò præceptum, sed admonitionem persuasionemq; complectitur: imperat enim in morem patris, non Regis: Propterea Historia euangelica non modo præcipit, docetq;, sed etiam persuadet, ac non tantum illis, ad quos habitæ sunt interpositæ conciones, sed cæteris omnibus, qui eas legunt, non enim minus sunt nobis facienda, quæ Dominus Apostolis præcepit, quam illis dum viuebant. Persuadet autem Dominus sæpissime loquens, Orationesq; illius melius rectæ, quam obliquæ ponuntur quia plus mouet, qui maiorem habet apud auditores auctoritatem, venerationemq;: Orationes autem rectæ suscipiuntur tanquam à Domino loquente, ipseq; videtur ea præcipere, atq; admonere, etsi qui narrat Historicus est; ob eamq, rem magis mouent: quapropter cum rectæ Orationes maiorem vim habeant, nullamq; Euangelistæ falsitatis suspicionem subeant; melius rectæ adhibentur, quam obliquæ: in humanis autem Historijs cum persuasio quærenda non sit, possintq; qui eas describunt non longe à suspicione falsitatis abesse, manifestum est, non eandem esse harum, illarumq; rationem.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

IN hac parte cuncti Historici nimio fortasse eloquentiæ studio peccauerunt; nam dum se politicos, ac Oratores ostendere maxime volunt, omnes inserendi conciones libenter occasiones arripiunt; cunctaq; in eas, & dicta, & non dicta congerunt; de Historica veritate, ac fide parum solliciti. Hinc Liuius volumen fere orationum suę indit Historiæ; Nec parcius Tucidides, qui sua non triginta nouem inseruit, multo autem vberior Dyonisius Halicarnasseus: ab Historia verò expeditionis Cyri apud Xenophontem si orationes, dialogosq; detrahas nihil erit fere reliquum; Hos pene omnes ęmulati sunt Historici: Vt autem ad particularia descendamus. Orationes, quas apud Tucididem Corinthij, Corcirensesq; habuerunt ad Athenien. necessaria fortasse videantur, quod illos ad societatem alteri eorum impulisse credi possunt; verum primum quidem multa sunt in illis inania, quæ omitti in Historia poterant, & debebant, vt contentiones & probra quibus se mutuo lacessiuerunt, hæc enim grauitatem Historicam dedecent, & præterea neq; ea, neq; quicquam, quod illi dixerint Athenienses persuasit; nam ipsemet Autor dicit Athenien. decreuerunt cum Corcyrensibus fœderationem subsidiariam, vt vtrique forent alteris auxilio, si quis aduersus Corcyrum Ath. uè, aut eorum socios iret, nam citra hoc rebantur bellum sibi cum Peloponnen. fore, nec Corcyram Corinthijs prodi volebant tantum nauium habentem, sed eos quam maxime collidi inuicem, vt cum inualidioribus effectis si quid opus esset Corinthijs, alijsq; classem habentibus bellum capescerent; simulq; quod Italiam versus, Siciliamque nauigantibus commode sita insula videbatur. *Hoc igitur consilio, non illorum persuasionibus Ath. receperunt Corcyrenses in societatem: Quapropter*

Liuius.
Tucid.
Dyon.
Xenoph.
Tucid. lib. I.

pter tamquam otiosa ommitti poterant: quemadmodum prætermittenda quoq; erat illa, quam legati Corinth. habuerunt apud Lacedæmonios; contra Ath & quam illis Ath. responderunt. At verò quam habuit apud Lacedæmonios Archidamus Rex, & Ephorus contra eosdem Ath. consilia continent; & causa vtraq; videtur fuisse belli gerendi cum Ath. etsi non per se; nam ipse Tucidides dicit, enimuerò decreuerunt Lacedæmonij fœdera rupta esse, & bellum gerendum; non tam inducti sociorum verbis, quam metu, ne Athenienses potentiores fierent, quibus cernerent iam magnam Græciæ partem esse subiectam. At verò si Orationes singulas huius autoris examinare velimus laborem nobis, & molestiam legentibus exhibebimus; satis est si dicamus omnes fere, præter paucas superfluas esse; & quæ melius, ac decentius ommitti potuisset; etsi plerumq; plenæ sunt politicis documentis, vt præsertim illæ, quæ in Ath. consilio de Metylenæis Cleo, & Diodotus habuerunt. Præter hæc illud animaduertendum est in aliqua ex orationibus Tucididis; quod non solum ex arte Rhetorica loquitur, sed etiam de arte, itaut non solum persuadeat, sed qua arte sit persuadendum docent: vide primam Corcyrien-

Lib. 1. sium. Hoc autem est miscere scientiam cum modo sciendi.

Dyonis. Hunc autorem æmulatus est Dyonisius Halicarnasseus, qui adeo multas inferit, vt sibi quoq; in suspicionem venerit, ne lectoribus molesta euaderet Historia, propterea post multas, atq; adeo superuacuas, & quæ nauseam patienti quouis lectore mouere possent, vbi de Coriolani exilio loquitur; Prolixior, inquit, in hac rerum narratione fui, ne quis forte miretur, quomodo Patritij tantam potestatem plebi permittere voluerint, neque cæsis, neq; pulsis optimatibus, quemadmodum in multis alijs Ciuitatibus accidit: vnusquisq; enim dum audit res nouas, & inauditas causam scire cupit, & in hac fidem suam collocat, & paulo post: & quoniam hanc mutationem non armis, non mutua vi, nec

mutua necessitate coacti, sed oratione adducti fecerunt; maxime necessarium esse duxi ipsas orationes, quas tūc vtriusq; factionis Principes habuerunt fusius narrare; *quæ an illum excusent, sit penes lectores iudicium. Cæterum illud hic animaduertendum hunc Historicum vidisse orationes tum esse inserendas quando rerum siue actionum causa extiterunt; quasi ommitti debeant, dum nihil ad rem gestam contulerunt, quæ sententia vera est; & superius à nobis probata: quod fortasse Diodorus quoq; sub nube vidit, nam quosdam loco non omnes orationes ab Historia reijcit, sed quæ prolixa sunt, & ad ostentandam eloquentiam. Liuius quoq; adeo sibi indulxit, vt volumen orationum haud multum concedat volumini narrationis historicæ si diuidantur; & quidem pro maiori parte adhortatoria, ac persuasiuæ sunt, & ex ijs, quæ nihil pertinent ad rem narratam, vel simpliciter, vel melius intelligendam; ob eamq; rem tutò prætermitti poterant. Nonnulla tamen meritò, ac historice maxime interposita videntur, nam vt exempla quorundam afferamus. Oratio Publij Decij ad Centuriones consilium continet, quo ratio illis ostenditur erumpendi intempesta nocte inter hostes obsidentes; ad quam laudem accedit quod breuis est, omni eloquentiæ vanitate remota. Sermo habitus à Q. Fabio Max. ad Paulum Emilium consilium amplectitur, quo gerendum essent cum Annibale bellum: oratio Leuini Consulis habet consilium inueniendæ pecuniæ: quod est fieri priuatam contributionem, argenti; auriq; domestici ad publicos sumptus; vt reip. inopia subleuaretur. Oratio Annibalis ad Antiocum consilium continet gerendi belli aduersus Romanos; & similes harum sunt aliæ admodum paucæ, reliquæ superuacaneæ, & quę fidem Historię labefactant; cum ad pompam, & vaniloquentiam iactandam composita videantur, vnde cæteris fortasse verè habitis suspitionem falsitatis inurant, & quoniam qui semel est malus (vt inquiunt) semper habetur malus in eodem genere; suspicio ad*

Diod. in præf. lib. 20.
Liuius.
Lib. 7.
Lib. 22.
Lib. 36.

narrationem quoq; rerum gestarum extenditur; multaq; cum dubitatione narrata suscipiuntur: Hac animaduertentes Maximus Cæsar, vanitatesq; à sua reicere cupiens Historia, conciones nullas adhibet, nisi vnam Critognati: non sine venia lectorum; ait enim non prætereunda videtur oratio Critognati, propter eius singularem, ac nefariam crudelitatem, *& tamen illius Historia nulla ratione minus est commendabilis, quàm Titi Liuij, aut aliorum; qui concionibus inserendis eloquentiæ laudem sibi comparare voluerunt, non lectoribus prudentiam Historicam. Discessus Catilinæ ab vrbe, & quod parricida vocaretur magnum fuit; illius autem actionis causa extitit oratio Cic. habita in Senatu: igitur multo magis hæc apponenda erat à Salustio, quam quæ habita est ad coniuratos à Catilina; de hac enim dicit:* orationem habet Luculētam, atq; vtilē reip. *forsitan verò illam non apposuit, quod vt ipse dicit; Cic. eam scriptam ediderit; verū hoc non obstat: nā Historicus causas rerū describere debet, etsi eędem alia via notæ esse poßunt. Ex his cęteri iudicabuntur Historici, ne nimia diligentia stomacum legentibus moueam, quibus addere par est; dialogos, quos Tucidides sæpenumero Xenophon, Dyonisiusq; adhibere solent; grauitatem Historicam maxime dedecere; ob eamq; rem Poetis potius illam scribendi rationem esse relinquendam, non enim Historicus imitatur, sed narrat ex se, & ex sua persona, non verba, sed res gestas, ex quibus oritur prudentia: non poßum autem hic prætermittere, Guicciardinum orationi multas otiosas inserere, etsi prudentiæ policiæ plenas; multas quoq; necessarias, & valde Historice: at verò illa quam in Senatu Veneto habuit Dominicus Treuisanus aduersus Iulium Secundum Pontificem postulantem, vt Romandiolæ erepta Ciuitates sibi redderentur, adeo irreuerens est aduersus illam omnium maximam Maiestatem, adeo inuerecunda erga Religionem. & Arma spiritualia, vt omnino ablegan da sit ab lectione bonorum, exscindendaq;, vt intereat tam*

Lib. 7. de bel. Gal.

In Saluſ.

Guicc.

perditę,

perditæ, atq; irreligiosæ sententiæ memoria apud posteros; non enim omnia, vt diximus; narranda sunt in Historia etiam si vera; sed ea tantum, quæ ad gignendam prudentiam ciuili beatitudini necessariam conducere videntur: huiusmodi autem sermones cum contumaces faciant Ciues erga supremam illam in Christiana Rep. potentiam; statum politicum corrumpunt, nec magis merentur supplicia qui tam impie locuntur quam qui eorum Sermonum memoriam literis commendant.

De Digressionibus. Cap. XXXV.

ALia dubitatio est de digressionibus, quæ non adeo perspicua videtur, vt vana futura sit hæc nostra contemplatio. Primum autem docere oportet quid nomine digressionis intelligamus; tum varias eius species, ac de singulis quid sentiendum sit ostendere, cum de genere ipso, vniuersali sermone nonnulla dixerimus. Voco igitur digressionem quodcunq; ab Historicis præter iam dictas partes inseritur narrationi, nam cum hæ partes sint iter, ac via, qua illi ingredi debent, vt ad propositum finem perueniant, si ab ijs deflectant, merito digredi censentur: sunt autem hæc diuerticula plura, nam vel narrationes inducuntur rerum gestarum, nihil ad ea pertinentium, quæ per se narrantur, & sine quibus ea nihilominus bene, ac plene cognoscuntur; vel si cuius rei naturalis mentio incidat, ratio eius redditur: vel præcepta admiscentur siue ad prudentiam, siue ad aliquā Artem pertinentia; vel de re narrata iudiciū fertur, vel agentes laudantur aut vituperantur Primum igitur digredi illaudabile videtur, in nulla enim operatione superuacanea admittenda, superuacaneum autem habetur, quod est præter ea, quæ sunt ad finem operationis: diximus autem quæ sint partes Historiæ necessariæ & quibus vniuersum Historicum opus absoluitur, atq; perficitur: digressiones verò nulla illarum continentur; propterea superuacuæ sunt: quod facile ostenditur,

Digressio quid.

Variæ digressionum in Hist. species.

tur, nam earum finis vel est idem cum fine Historiæ, cui inseruntur, vel alius, si alius, vel alius numero, vel etiam genere, si scilicet non sit prudentia, sed alia cognitio, aut omnino aliquid aliud à prudentia: si alius numero, vnius Historiæ duplex erit finis; digressiones enim sunt vnius veluti corporis partes quædam, licet peregrinæ, & extraneę; est autem corpus hoc narratio Historica, cui si vna est vnum tantum esse propositum finem oportet, certum est enim non posse vnius actionis duos esse immediatos fines, corpus igitur Historicum erit vnum, & non vnum, vnum quidem, nam secus digressiones minime essent digressiones, si seiunctim sumantur tamquam aliud corpus ab Historica narratione diuisum; non vnum verò ex quo duos habeat fines distinctos: sin autem alius genere, iam non plures Historiæ, sed Historia, & non Historia narratio tota appellanda erit: in fine enim essentia vt actionum, ita artium constituta esse videtur: sin autem finis idem omnino sit, cum is auxilio partium Historiæ necessariarum optime obtineatur frustra ad eum consequendum digressiones adhibentur: plures tamen earum ob finem à prudentia Historica genere diuersum solent interponi; quod reprehensione non vacat, vnamquamque enim artem suis limitibus stare oportet, nam faber lignarius non debet vsurpare lanificium, neque ædificator in sutoris, textorisuè artem irrumpere; quod manifestum est magis in humanis actionibus, atque ijs præsertim, quæ pertinent ad Respublicas, in quibus (vt constat) magistratus eliguntur, illisque propria munera tribuuntur: igitur si quis munere suo minime contentus, aliena quoque velit exercere, vel à Principe plectetur, vel Rempublicam labefactabit: in aulis quoque videmus ambitiosos, ac satagentes Aulicos, qui se sui officij finibus coercere non possunt, explodi ab omnibus vel irrisione, vel odio: sunt autem hęc in his actionibus, veluti digressiones in Historia: ex ijs tamen quas attulimus reprehensione minus dignæ censentur, quæ factum aliquod extra rem narrant; nam etsi extranea narratio

est,

est, eiusdem tamen generis videtur: Verum huiusmodi episodia in Poësi quidem permitti videntur, Historiam verò dedecent; nam vt continere se omnes Artifices intra artem suam debent, ita eiusdem artis operarios mandatum sibi opus, vel quod ipsi sumpserunt, perficere decet; quod autem extra illud est prætermittere: eadem itaq; ratione Historicus, qui vnam suscepit actionem, quam memoriæ posterorum tradat, cum illam tantum ab initio professus sit, alias, vel alijs relinquere, vel in aliud tempus reseruare æquum est, nam cum Historia grauissimum sit opus, ac propterea iure optimo Magistra vitæ appelletur, constare sibi debet, ac rei cœptæ insistere, non huc illuc volitare dialogorum more; quod cum in quotidianis, ac familiaribus reprehendatur sermonibus, in grauioribus narrationibus multo magis reprehenditur.

De Digressiionibus res gestas narrantibus. Cap. XXXVI.

O*Mnia itaq; prædicta digressionum genera præter Historiæ partes sunt. Nullum tamen ex his naturæ Historiæ conformius est, quam quod continet memoriam alicuius rei gestæ; nam, & quę iudicia, & quæ præcepta, & quæ causas rerum naturalium, vel effectus conplectuntur, omnino vel ad aliam facultatem, vel ad aliam philosophiæ partem spectant; hoc autem genus narrationes Historicas continet, quæ tamen quia extra rem sumptam videntur, tamquam superuacaneæ ommittendæ sunt, cum enim satis multa narranda sint, si bene, ac laudabiliter quis Historicam narrationem componere velit, ne sibi, lectoribusq; negotium facessat, superuacua debet prætermittere, ab huiusmodiq; excursibus abstinere, vt sibi constare, & cœpto labore insistere videatur. Quod si quis quærat, quæ ratione ista sint agnoscendæ digressiones respondemus ex his, quæ de singulis Historię partibus dicta sunt facile dijudicari*

 posse;

posse; nam si ea seruentur, quæ diximus in prędictis explicandis partibus Historiam integrantibus, atq; componentibus, nihil superuacuum admiscebitur.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

lib. 2. *HErodotus itaq; reprehendendus est, cum sępe ad extraneas narrationes delabatur, tum vero maximę in descriptione morum gentis Aegyptię, quos explicat longa oratione; est autem proprium huius autoris quotiescunq; vel personę, vel loci, vel actionis alicuius meminerit, digredi ad plenam cognitionem tradendam, etsi ea nihil ad cœptā narrationem faciat; & is quidem ęmulari videtur Homerum; at illum imitati sunt*

Salustius *Salustius, & ex recentioribus Aeneas Siluius in Comentarijs,*

Tucid. lib. 1. *Tucidides verò;* Quæ, *inquit,* demigratio eis fuit sane molesta, propter inueteratam plerisq; consuetudinem semper degendi in agris iam inde ab vltimo initio; si quidem sub Cecropere. *Hic digreditur ad ostendendum Athenienses consueuisse ab initio fere vrbis in agris morari. Sed, quod considerabilius est, totus primus liber extra rem videtur, vel saltem in narratione rerum necessariarum diffusior; ipse enim bellim Peloponnesiacum se scripturum profitetur initio sui operis* Tucidides, *inquit,* bellum Peloponnensium, Atheniensiumq; quod inter se gesserunt conscripsit; *in principio autem secundi libri.* Hinc iam, *inquit,* princip. sumit inter Athenienses, Peloponnensesq; & vtrorumq; socios bellum; *quare vniuersum primum lib. in explicandis causis absumpsisse videtur; idq; Asiatice nimis; nam verè tam diligenter Corcyrensium bellum, cum Corinth. narrare, totq; inserere conciones, hominis est sui propositi immemoris. Per digressionem similiter narrat funus quod mortuis militibus pro patria quot annis ab Atheniensibus celebrabatur; id enim eum decebat, qui vniuersales Historias Atheniensis Reip. describeret,*

beret, non eum qui bellum tantum Peloponnensiacum: verum ille orationem Periclis inserere voluit. Summe verò digreditur, & ad oratorium munus dilabitur vbi mala recenset, quæ orta sunt à seditione inter Grçcos, & qui mores in Grçciam inuecti sint, quantasq; perturbationes Grçcç Ciuitates perpessç sint. Nec minus vbi ait, eodem verè magna vis ignis erupit ex Aetna, *& reliqua, quç de illo incendio, quem tertium fuisse ait, ex quo Grçci Siciliam incolebant, vt alias digressiones breuitatis causa omittam. Per digressionem apud Xenoph. in expeditione dicta sunt, quæ de Euocatione Xenoph. de consultatione cum Socrate, de responsu Apollinis, an scilicet ad bellum ire deberet: multo verò magis extra rem, & omnino indigna relatu, & Grçcula, quç de suis insomnijs, presertim cum illis tantam adhibere fidem videatur, nec horum dissimilia sunt, quç dicit de contentione, quam habuit cum milite se accusante, nam humilitate sua mirum in modum Historię grauitatem fœdant. Per digressionem quoq; dicta sunt ea omnia apud Polybium, quę de bello cum Gallis narrantur, cum enim illis duobus primis libris omnia ad apparatum se dicere profiteatur belli Punici secundi, quod ad narrandum diligenter susceperat; profectò bella Romanorum cum Gallis nihil ad rem faciebant; in quibus narrandis illud quoq; summopere est animaduertendum; magnam esse inter illum, & Liuium discensionem. At verò Dyonisius Halicarnasseus huiusmodi digressionibus abundat. Nam quæ de Siculis dicit, & quo pacto Italia pulsi in Insulam Trinacriam venerint digressione narrantur; extra rem quoq;, quæ de gente Pelasga; imo crimine digniora; nam fabulę sunt, quę ab Historia longissime debent exulare. Alio loco postquam Dictatorem Romę creatum esse narrauit longa oratione digreditur ad ostēdendum magistratum illum à Grçcis esse acceptum; quod non modo extra rem est, sed prçter verisimilitudinem, cum enim illis temporibus ignota fere esset silua Cimina, ac multi ex proximis Romę populis; credibile est multo magis*

Lib. 3. | Xenoph. Lib. 1. Anacch. | Lib. 3. & 4. | Lib. 5. | Polyb. Lib. 2. | Dyonis. Lib. 1. | Lib. 1.

magis Græcos fuisse Romanis ignotos: Nec verò minus extranea sunt, quę eodem libro de Dictatura dicit ostendens iuste, ac
Lib. . *modeste à multis habitam esse, primum autem Syllam eam Tirannicam fecisse, ubi multas intempestiue eius actiones narrat. Per digressionem quoq; dicta sunt omnia, quæ de Anostodemo Cumeorum Tyranno, qua scilicet ratione Tyrannidem occupauerit, & quomodo ea pulsus sit: vbi turpissimam adipiscendæ*
Lib. 7. *Tyrannidis rationem docet. Deniq; vt ostendat ludos Romanos à Græcis originem habuisse homo Græculus longissime digreditur, multasq; inuehit Poetarum auctoritates ad mouendum stomacum viro alio properanti, prudentiamq; ex Historia non Græcorum nugas quærenti.*
Appian. *Multo autem magis accusandus est Appianus, qui cum indulgentissime omnes Historiæ partes tractet, quasi breuitatis amator, digressionibus tamen longissime immoratur; nam quæ de Scipione maiore dicit, de accusatione illius, & de eo, quod ille fecit in Capitolium ascendens,*
De bello cũ Anth. *ac de eius verbis, & exilio, omnino per digressionem narrantur; nec minus quæ eodem loco de Alex. Magno, & successoribus illius, itaut videatur scribere non Historiam Romanam, sed Macedonicã; hoc est de Regis Seleuci successoribus. Insuper quæ de amore Antiochi cum Stratonica, ac de prudentia in eo Erasistrati præter rem sunt omnia; quod & illi notum fuit, nam post multa deniq; addit.* Hæc de Macedonibus diximus tamquam de Historia externa non Romanorum;
De bello Mitrid. *nec tamen abstinet alibi: nam bellum Romanorum cum Mitridate describens, multa de rebus antiquis, ac regibus Bithiniæ commemorat quæ nihil faciunt ad illud, quod narrare ex officio*
Salust. *debebat. Salustius quoq;, qui apud Imperitos Grammaticos breuitatis laudem consecutus est, haud rarò digreditur; Quorsum enim illa in Coniuratione, quæ de immutatis moribus commemorat? adde narrationem illam Historicam non esse, est enim*
In Coni. *potius laudatio temporis acti, accusatio verò præsentis:* memorare possem quibus in locis maximas hostium copias

pop.

pop. Rom. parua manu fuderit, *& quæ sequuntur; his similia*; sed profectò fortuna in omni re dominatur; *& illa*: Atheniensium res gestæ sicuti ego existimo satis amplę, magnificęq; fuere, *& reliqua quæ nihil faciunt ad rem: At verò multo intemperatius in Iugurta*. Cæterum, *inquit*, mos partium popularium, & senatus factionum, ac deniq; omnium malarum artium *&c. originem factionum inter nobiles, plebemq; exequitur longissima digressione, quam claudit his verbis*; sed de studijs partium, & omnibus Ciuitatis moribus, si sigillatim, aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius deseret, quamobrem ad inceptum redeo: *nam se digressum esse cognoscebat; narrando iudicando, conquerendo. Nec minus ibi digreditur, vbi de Leptitanis dicit, de Sirtibus, ac multo magis vbi de Carthaginensibus, Cyrenensibusq; ac finibus eorum, & facto Phileneorum, hæc enim omnia per digressionem, ob idq; dicit*; Nunc ad rem redeo. *In hac parte non magis temperans Tacitus est; nam vbi de legibus sermo incidit*; ea, *inquit*, res admonet, vt de principijs Iuris, & quibus modis ad hanc multitudinem, ac varietatem legum peruentum sit altius disseram. *Paulo autem post cum de luxu disseruisset*; causas eius mutationis, *inquit*, quærere libet; *vbi quomodo à luxu in frugalitatem, & ab hac in illum versum sit pop. Rom. Nec minus extra rem sunt, quæ de Fænice Aue dicuntur, & ea quæ de Aegyptiorum caracteribus* primi, *inquit*, per figuras animalium Aegyptij sensus mentis effingebant; *ibiq; plura de ortu literarum. Et alio loco*. Sed quia famosæ vrbis supremum diem traditurí sumus, congruens videtur primordia eius aperire; *Vbi de Hierosolimitana Ciuitate; multa quemadmodum & de institutis Hebræorum pleraq;, ac fere omnia non minus falsa, quam extra rem; non enim Hebræorum cognitionem tradit, quemadmodum Historicum decet, potentiam scilicet eorum ostendens, vel artem bellicam; sed*

In Iug.

De bello Iug.

Tacitus. Lib.3.

Lib.6.

Lib.11.

Lib.5. ab ex.Ner.

multa

multa dicit de Circumcisione; de usu ciborum, ac Religione; quæ nihil faciunt ad Historicam cognitionem, quam ipse tradere debebat; erant enim Hebrei, noscendi quatenus cum illis Romani bellum gerebant, eodem loco multa de Palma, Balsamo,
Lib. 6. de bel. Gal. *lacu, fertilitate Regionis, & modo colligendi Bitumen. Per digressionem quoq; narrata videntur ea, quæ Max. Cæsar dicit de moribus Gallorum, Germanorumq;, de Druidis, de interdictione Sacrorum, de Principatu inter illos, ac disciplina, de placitis ad Religionem pertinentibus, de rebus philosophicis, ac*
Philipp. Comin. *politicis. Ex nostris verò, vt alios omittam Philippus Comineus valde episodicus est. Quæ autem pertinent ad hoc genus digressionis ea sunt, quæ de Anglis dicit, ac de infortunijs illorum cum de Carolo dixisset, quod iuxta Parisium castra posuisset, ibidemq; de diuisione Regni Angliæ, & alibi quoque multa de rebus Anglorum. In fine autem Historiæ de rebus gestis Ludouici Regis extra rem est examen Principum, quod per tot capita facit. Quod si sub hoc capite locare velimus otiosa, quæ Historici narrant hoc est, quæ nihil ad rem propositam faciunt, vel ad prudentiam; multa poterimus adnotare omnibus fere in Historicis; verum exempli causa quędam Xenophontis tantum proponentur. Vanum est igitur, atq; otiosum, ac non sine multa ambitione, quod dicit, dum ipse Xenophon Chirosophum proficiscitur.* Cum, *inquit,* priorem vicum præterijsset in cęteris vicis omnibus milites Gręcos offendit tépestiuis conuiuijs se festiue oblectantes, quorum nemo fuit, qui Xenophontem non inuitaret, & mensa posita carnes non apponeret agninam, hædinam, suillam, Vitulinam cum panibus triticeis, atque ordaceis; qui verò ad bibendum inuitassent, ei non poculo propinabãt, sed Craterem deducebant &c. *Similia ijs sunt, quæ alibi habentur, cum de manubijs loquitur, quæ Apollini dicauit; vbi cõmemorat, quibus illam pecuniam deposito dederat, quam ex hostibus acceperat, tum quomodo eandem rursus acceperit,*

Lib. 4 Aneuas.

Lib. 5.

& quem

& agrum monitu oraculi emptum, quem diligenter describit; vanissime; Nec multo ea commendabiliora, quæ de saltationibus: hæc enim omnia vana, Græca, & Historica grauitate indigna. Lib. 5.

De Digressionibus causas, vel effectus naturales explicantibus. Cap. XXXVII.

Effectus naturales voco ecclypses, cęlestes ignes, pluuias, terremotus, pestes, & huiusmodi, quæ sæpenumero ab Historicis describuntur, cum tamen ea cura minime ad illos pertineat, dictum est enim Historiam esse narrationem rerum gestarum, quæ ab electione fiunt, non natura, hæc autem tradi memoria sane improbandum non est, nam ijs cognitis naturales Philosophi, & siqua sunt aliæ facultates ad reperiendas causas excitantur, quas cognouisse pulcherrimum videtur: at verò hoc sibi munus Historiam ciuilem asciscere minime decet, non enim intellectiuam scientiam, speculatiuamuè, sed practicam, & quæ principium humanarum actionum existit iuuare eam oportet, reliqua vero alijs facultatibus relinquere: Hi tamen effectus interdum explicandi sunt, non quod acciderint, cum satis dictum sit, non omnia quæ euenere esse ab Historia describenda, sed quod rerum gestarum causa fuere, vel occasiones, vel impedimenta, vel auxilia: propterea formalem adhibere rationem oportet; non enim omnia de illis narranda sunt, sed ea tantum quæ videntur ad actionem pertinere, nam cum Historiæ munus non sit eorum meminisse; si quando illos narrare oportet, ęquum est aliquam esse differentiam inter Historicam narrationem, & propriæ facultatis illorum: erit autem, si Historia non omnia describat, quę illis inesse videntur, sed ea tantum quę actioni prosunt, aut officiunt, vel ad eam quoquo modo spectant, quod intelligere Historicum oportet; illis autem descriptis omnino absurdum est, longeq; ab Historiæ munere alie-

num causas perscutari. Id cum multi fecerint, non satis apte suam tuentur causam dicentes noluisse Historiam, ieiunam componere, nam si partes illi necessarias agnouissent, easq; pro dignitate tractassent ieiunitatis crimine, sine peregriniq; laboris auxilio caruissent.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

Harod. Lib.2. HArum *digressionum exempla multa habemus apud Harodotum, vt cum incrementa Nili explicat, longaq; oratione earum causas nequicquam perscrutatur, & dum Solon cum*
Lib.1. *Creso de Humanis miserijs, ac vera hominum beatitudine philosophice disserit. Tucidides quoq; in descriptione pestilentia*
Tucid. Lib.2. *Historicos terminos trascendit, quod & ipse cognouisse videtur; ait enim:* Referam igitur hoc, vt cognoscat quisq; vel peritus, vel imperitus medicinę vnde credibile sit id extitisse, quasq; satis existimet causas, quæ ad tantam mutationem vim haberent. *Quæ autem addit vtilitatis Historicæ eum habuisse cognitionem ostendunt, & in rebus politicis præcipue commendabilissima sententia est;* Ego vero cuiusmodi fuerit, referam, & quæ sibi quisq; proponens, si quando hoc rursus incidat, iam prædoctus habeat aliquid præcipue, vnde non ignoret, quippe qui & ipse passus sim hunc morbum, & alios patientes sim intuitus. *At verò quod subiungit impium:* Deorum, aut hominum metu nequaquam cohercitus, cum & in ęquo ponerent pium, vel impium esse; videntes æqualiter cun-
Dyon. lib.10. ctos oppetere mortem. *Quæ omnia ad vnguem Dyonisius Halicarnasseus imitatus est, nam, & ipse Pestem, quæ Vrbem Romam longo detinuit morbo, describit, castius tamen, atque Historice magis quam Tucidides; sed illa non minus impia:* Vbi verò cognouerunt nullum auxilium sibi à Deo ferri, seq; nulli curæ esse cumq; nulla tangi misericordia, & ipsi

& ipsi diuino cultui vale dixerunt. *Quæ quidem si de Græcis dixisset, facile credere possemus, nam ijs cura tantum compotandi fuit; at verò de Romanis scelestè scribuntur; ut temere crederentur: nulla enim Gens æque Religioni addicta fuit; quemadmodum, & ipse Dyonisius alibi ostendit, Deorum cultum, & quæ ad Religionem pertinent multo melius apud Romanos, quam apud Græcos, qui tot fabulas de Dijs innexerunt, vel apud Barbaros; esse instituta commemorans. Diodorus quoque pestem, qua laborarunt Ath. describit Tucididem æmulatus, eiusq; causas referens* cum Historiæ, *ait*, primum studium, & solertia sit cuiusque insoliti, grauisque casus principio causas inuestigare; hoc loco initia huius mali à nobis explicari necesse est. *In quo fallitur, Historia enim principia, & causas actionum tradere debet, non autem rerum naturalium. Tacitus effectum naturalem Historice recenset; est autem Lunæ defectus; qui seditionem inter milites ortam superueniens sedauit; ob eamq; rem dicit:* Noctem illam minacem, & in scelus erupturam fors lenijt. *Quæ autem Polybius diffuse de feritate Cynothensium differit, quod musicam reliquerint, & quæ de Danubio, ac Ponto Euxino ad naturalem philosophiam pertinent, & quidem ea quæ futura breui esse prædicit de ponto Euxino, experientia tot annorum docuit esse falsa; opinatus est enim breui fore vt repletus arenarum colluuie, nauibus imperuius esset, vt iam supra diximus.*

Lib. Diod. Lib. 12. Tacitus. Polyb. Lib. 4.

De Iudicijs. Cap. XXXVIII.

Digressiones, quæ iudicia complectuntur ea esse dictam est, quibus si quid bene, si quid male hoc est prudenter, vel imprudenter, turpiter an honeste peractum sit, Historicus iudicat. Hoc autem ab Historię munere alienum esse manifestum est. Historicus enim materiam exemplorum sufficit parti philosophiæ præceptiuæ, ista verò iudicium fert de actionibus, cum

illis vti debeat ad sua corroboranda præcepta, vt enim contemplatiuus iudicium facere debet de propositionibus, quas adhibet ad probandas conclusiones vtrum veræ sint, an falsæ, ita philosophum actiuum exempla rerum gestarum, iudicare oportet vtrum bona, vel non: vt sciat cuius vsus sibi in suis præceptionibus firmandis esse queant. Idem ciuilis vir facit, vt intelligat, quæ sibi sint imitanda in agendo, quæ verò fugienda. Historia igitur narrare tantum debet actiones. Iudicia verò, & actiuo philosopho docenti, & ciuili viro operanti relinquere.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

IVdicat itaq; Tucidides contra interpretationem oraculi de habitatione Pelasgici. Satque Pelasgicum otia seruet. Cæterum, *inquit*, vt mihi videtur oraculum in contrarium cecidit, quam expectabatur, non enim propter profanatum habitatione templum calamitates Ciuitati contigerunt; sed propter bellum inhabitandi necessitas *& eodem libro de alio oraculo* Doriacum veniet limo comitante duellum; equidem (*ait*) existimo si aliud ab hoc aliquando contigerit Doriacum bellum, itidem ex rerum fide tamen cantaturos. *Non multo post de actionibus Athenensium post Periclis mortem iudicat:* Nam qui successerunt, *inquit*, Pericli, cum inter se pares essent, primum quisque locum affectantes ad demulcendum voluptatibus pop. se conuerterunt negotijs relaxatis; vnde cum alia multa, vt in magna Ciuitate; tum verò illud peccauerunt, quod in Siciliam nauigarunt: *nec minus ibi de Corcyrensibus loquens.* Propter hęc multa mala Ciuitati contigerunt contingentque donec eadem erit hominum natura; *& quæ secuntur per multos versus, de malis belli, & pacis vtilitate, vt alia ommittantur. Hunc autorem æmulatus est Polybius sæpissime. Nam de primo bello Punico loquens;*

Tucid. lib. 2.

Lib. 2.

Lib. 3.

Polyb.

Durauit

Durauit hoc, *inquit*, bellum continuos quatuor, & viginti annos: omnium sane, quæ nos audiuimus longissimum, atq; maximum; in quo vt alia ommittam, *&c. magnitudinem huius belli ostendit comparatione cum bello Persarum, & Græcorum, Lacedæmoniorum, & Atheniensium, ibiq; longissime digreditur. Et alibi de crudelitate Mathonis & Spedij loquens*. Quod fit, vt si quis hæc recte intueantur non dubitet affirmare, nō modo corpora hominum & quædam in illis vlcera ita interdum crudescere, vt sanari non possint, sed id lōge magis humanis animis accidere. *Nec minus vbi Epirotarum imprudentiam accusat; qui Gallos infidissimos sua Ciuitati præsidium imposuerint; à quo proditi sunt; & apud Mantinenses seditione vocatis Lacedæmonijs Achæos obtruncarunt, de illa actione multis verbis iudicat: & alio loco de Cynothensibus, cur tam feri facti sint, idq; propterea quod musicam reliquerunt, ac postquam alia multa dixerit*: Hæc, *inquit*, pluribus verbis de Arcadibus, & Messenijs prosecuti sumus, vt hi memores cladium, quas Ciuitatibus suis Lacedæmonij sępe contulerunt in fide, atq; amicitia permaneant, numquamq; se inuicem deserant. *Demum alibi de Philippo Macedone*: Quæ quibusdam recte, meritoq; Philippus, & cæteri facere videbantur. Ego autem contra existimo: *longa oratione reprehendit actiones Philippi, quod à suis maioribus qui post victoriam in victos misericordiam exercebant. Hos sequitur Dyonisius Halicarnassens, qui de Romulo sermonem habens*; primum, *inquit*, de reip. forma dicam, quam cæteris omnibus reip. formis, & pace, & bello, vt puta suis omnibus numeris absolutissimam præferendam duco. *Profectò is autor optimum Ciuitatis statum ignorabat; nam si non alio argumento, corruptionem Reip. Romanæ cognoscere potuit, saltem ex seditionibus creberrimis id intelligere debuisset. Paulo post cum multa de rebus sacris locutus esset à Romulo institutis,*

Lib. 1.
Lib. 1.
Lib. 2.
Lib. 2.
Lib. 2.
Lib. 4.
Dyonis. Halic.
Lib. 2.
Lib. 2.

tis, ac satis apte: ostendit melius apud Romanos res sacras esse
Lib.3. *ordinatas, quam apud Græcos, propter turpes Deorum fabulas: & alio loco*; Ego certe in tribus magnificentissimis Romę operibus, vnde maxime Imperatorum amplitudo apparet aquęductus pono, & vias stratas, & Cloacas factas, non solum ipsius operis vtilitatem considerans, sed etiam impensarum magnitudinem: *hac de Tarquinij pri-*
Lib.7. *sci operibus. Post auxilium Coriolani in quæstionem vocat vtrum laudabilis esset mos pop Rom. vocandi Principes Ciuitatis ad causam dicendam in iudicio, cuius arbitrium sit penes pop. de qua re multa partim laudans, partim corrigenda existimans: nec multo post; Coriolano mortuo de moribus illius iudicat, sub censuram vocans quæ bene, quaue male, ac impru-*
Plutar. *denter egerit, addens quid illi agendum fuisset; Plutarcus quoq; adeo frequens est in iudicijs, vt docere potius, quam narrare velle videatur & parum differre Historias ab opusculis, quos*
C.Cæsar *composuit. Maximus quoq; Cæsar se ab iudicijs non abstinet;*
Lib.3. *nam de bello ciuili*; ne longius, *inquit*, prosequerentur Sylla reuocauit; & pleriq; existimaut si acrius insequi voluisset bellum eo die potuisse finire; cuius consilium reprehendendum non videtur, aliæ enim sunt legati partes, atq; imperatoris; alter enim omnia agere ad præscriptum, alter libere ad summam rerum consulere de-
Lib.3. bet: *& non multo post*. Pompeius militibus suis iusserat, vt impetum exciperent hostium; quod nobis quidem nulla ratione factum à Põpeio videtur, propterea quod quædam animi incitatio, atq; alacritas naturaliter innata omnibus, quæ studio pugnæ incenditur, hanc non reprimere, sed augere Imperatores debent; neq; frustra antiquitas, *&c. Scilicet cum inimicum Pompeium manu vi-*
Saluft. in Coniur. *cisset, arte quoq; militari se illi præstitisse ostendere voluit. Salustius digreditur in Coniuratione vbi ait:* ea tempestate mihi Imperium pop. Rom. multo maxime miserabile visum

ſum eſt, cui cum ad occaſum ab ortu ſolis *&c. miratur neminem fuiſſe qui patefecerit Coniurationem, vel ab exercitu Catilina diſceſſerit præmijs magnis propoſitis;& quod Ciues in tanta rerum abbundantia ſe perditum irent; & quod tam multi Catilinæ fauerent; ob id miſerabile tum Imper. pop. Romani iudicat. In eadem Coniuratione*,ſed mihi multa legenti multa audiens, pop. Romani domi, militiæq;, mari, ac terra pulcra facinora *&c. Hac digreſſione dicit pop. Romanum paucorum Ciuium egregia virtute cuncta patraniſſe, propterea comparationem facit inter Cæſarem, & Catonem; Notandum autem ſub cenſuram iudicium, quod de his duobus Ciuibus fert;* Genus,*inquit*,ætas eloquentia prope æqualia; *at verò Genus Catonis plebeium, Cæſaris patritium à Dijs ortum ducens. Catonis eloquentia nullo commendata; Cæſaris inter ęgregias, & primas collocata; vt ait Cic. in Bruto. Sunt in eo autore alia iudicia quæ breuitatis cauſa ommittuntur. Liuius quoq; ſæpiſſime digreditur.* Hæc, *inquit*, ferme Romulo regnante domi, militięq; geſta, quorum nihil abſonum fidei diuinæ originis, diuinitatiſque poſt mortem creditę fuit; non animus in regno auito recuperãdo *&c.* Tit. Liu. lib.1.
eſt hoc Romuli elogium. Alio loco de actione Bruti iudicat contra Tarquinium Superbum, quam ſi ſub alio Rege tentaſſet, malo id publico facturum fuiſſe dicit. In ſecundi belli Punici narratione de pugna Cannenſi. Nulla profectò alia gens tanta mole cladis non obruta eſſet; comparem cladem ad Aegateis Inſulas Carthaginenſium nauali prælio acceptum? qua fracti Sicilia, ac Sardinia ceſſere; hinc vectigales, ac ſtipendiarios fieri ſe paſſi ſunt: cæteræ clades aduerſæ pugnæ in Aphrica cui poſtea hic ipſe Annibal ſuccubuit, nulla ex parte comparandę niſi quod minore animo latę ſunt; *Hic de Animis Romanorum conſtantia iudicat;& dum comparat alijs amplificare videtur, ac ob id pertinere ad laudem; quod munus ab Hiſtoria eſſe alienum tam* Lib.1. Lib.22. Lib.26.

dictum

dictum est. De P. Manlio Torquat. qui oblatum Consulatum refutauit. Eludant, *inquit,* nunc antiqua mirantes; non equidem si qua sit sapientum Ciuitas, quam docti singunt magis quam norunt, aut Principes grauiores, temperatioresque à cupidine Imperij; aut multitudinẽ melius moratã censeã fieri posse; *& quæ sequuntur, quibus iudicium fertur de Torquati actione; quod si ad laudem pertinere videantur, haud mirum est, nam qui de re aliqua iudicat, vel probat illam, vel improbat; quare vel laudare videtur, vel accusare; quamquam inter laudem, & iudicium approbantem aliqua sit differentia, vt alibi dicemus; & supra quoq; attigimus.*

Lib. 28. *dum laudem, vel accusationem ab Historia seiunximus. De Annibale quoq; post mortem Asdrubalis fratris multa dicit, quæ, & ad iudicium, & ad laudem pertinere vidẽtur.* Nescio, *inquit,* an miserabilior in aduersis, quàm secundis rebus fuerit, quippe qui cum & in hostiũ terra per annos tresdecim, ac varia fortuna bellum gereret, exercitu non suo ciuili, sed mixto ex collusione omnium gẽtium, quibus non lex, non mos, non lingua communis, alius habitus, alia vestis, alia arma, alij ritus, alia sacra, alij prope Dij essẽt; ita quodam vinculo copulauerit eos, vt nulla nec inter ipsos, nec aduersus ducem seditio extiterit, cum & pecunia sæpe in stipendium, & commeatus in hostium agro deesset, *& multa alia, quæ dicit in hanc sententiã; quę vtrum vera sint alij viderint, certum est multos Numidas, & Hispanos in castra Romana transfugisse, qui toto illo bello optimam operam nauarunt, & Annibalem ipsum sæpe vestem mutasse ne internosceretur ad vitandas militum insidias. Veniamus ad*

Tacitus. *Cornelium Tacitum, in quo autore illa vehementer iudicia laudo, quæ pop. tribuit, vt primo lib. quæ vulgo iactabantur de Tib. de Agrippa, ac de Augusto post eius mortem. Hic enim mos*

Lib. 3. *Historicus est.* Mihi quanto plura recentium, seu veterum, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in

negotijs

negotijs obuerſantur; quippe fama per venerationem potius omnes deſtinabantur imperio, quam quem futurum Principem fortuna in occulto tenebat: *more ſuo oracula profert, nec minus alibi.* Vnde dubitare cogor fato, & ſorte naſcẽdi, vt cætera, ita Principum inclinatio in hos offenſio in illos, an ſit aliquid in noſtris cõſilijs, liceatq; inter obruptam contumaciam, & deforme obſequium pergere iter ambitione, & periculis vacuum, *qui locus ſolitam illi impietatem redolet; dicit enim fato, & ſorte naſcendi, vt catera, ſed peſſime, atq; impijſſime alibi:* nunquam atrocioribus pop. Rom. cladibus magiſuè iuſtis iudicij comprobatum eſt non eſſe curæ Dijs ſecuritatem noſtram eſſe vltionem. *Et alio loco iudicat.* Adeo facinora, atque flagitia ſua ipſe quoq; in ſupplicium verterant: neq; fruſtra prçſtantiſſimus ſapientię firmare ſolitus eſt, ſi recludantur Tyrannorũ mentes poſſe aſpici laniatus, & ictus, quando vt corpora verberibus, ita ſęuitia, libidine, malis conſultis animus dilaceratur. *Et alibi rurſus de fato, & ſorte,* ſed mihi hæc, ac talia audienti in incerto iudicium eſt, fato ne res mortalium, & neceſſitate immutabili, an forte voluantur: quippe ſapientiſſimos veterum, quique ſectam eorum ęmulantur diuerſos reperies. *Hac prudentia acquiritur in Tacito, qui noſtra tempeſtate Princeps Hiſtoricorum habetur. Iudicat de Inopia tempore Claudij.* At Hercule olim ex Italię Regionibus longinquas in Prouincias commeatus portabant, nec nunc in fęcunditate laboratur, ſed Aphricam potius, & Aegyptũ exercemus, nauibuſque, & caſibus vita pop. Rom. permiſſa eſt. *Hac pauca, vt alia ommittam. At verò ne Xenophontem ommittamus, ipſe quoq; iudicat de rebus Gracorum.* Arbitror verò tali calamitate homines ſi recte conſiderauerint prudétiores reddi debere, nam neque domeſticos ira commotos plectere decet, ſæpe enim domini irati maiora perpeſſi

Lib. 4.

Lib. 1. ab exc. oal.

Lib. 6.

Lib. 6.

Lib. 12.

Xenoph. Lib. 5.

sunt mala, quam intulerunt, propterea hostes sine ratione, sed inconsulto aggredi delictũ existit maximum;

Lib.6. ita enim temere omnia facit: *Hac forte ad pracepta pertinere uideantur*, *& illud alto loco*: & quamuis non ignorem hæc omnia, hisq; similia duces cum pugna nauali sint cõflicturi præmiditari solere; illud tamen laude dignum censeo cum quis ab hoste accelerare cogitur ne inter nauigandum aliquid obliuiscatur, quod ad certamen

Lib.7. futurum pertinere videntur: *Et alibi de Epaminonda.* Nũc igitur expeditionem haud quanquam in præsentia quidem successisse illi pulcherrime dixerim, *& qua sequuntur, vt alia ommittantur permulta iudicia in illa prasertim*

Appian. *Historia Gracorum: Ab huiusmodi iudicijs non abstinet Appianus non de bello Mitridatico multa de philosophis commemorat; ac de eorum factis iudicat, cum dicat multos cohacte philosophia operam dedisse, multosq; eorum Tyrannos fuisse,*

Ammia. lib. 1. *vel Principum detractores. Ammianus quoq; de inconstantia rerum humanarum, & de fortune effectibus multa commemorat post mortem Galli Imperatoris, vbi ostendit quot fortuna sua inconstantia ex minimis fecerit magnos, & è cõtra, & paulo ante vanitate poetica, Deam Adrastiam, siue Nemesim de-*

Hærod. Lib.7. *scripserat, & Herodianus*; Talis, *inquit*, fuit Maximinus in bellicis negotijs, maximam rebus gestis claritudinem adepturus, nisi grauior multo suis, ac truculẽtior, quam ipsis fuisset hostibus, *& catera qua de natura, & moribus il-*

Q. Curt. *lius bellua dicit. Ab huiusmodi quoq; digressionibus Q. Curtius non abstinuit, nam postquam dixisset Alexandrum vxorem, matremq; Darij aduisse, liberaliterq; ac temperanter tractasse*; equidem, *inquit*, si hac continentia animi ad vltimum vitæ perseruare potuisset, fœliciorem fuisse crederem, quam visus est esse, cum Liberi patris imitaretur triumphum ab Hellesponto vsq; ad oceanum omnes gentes victoria comẽsus si vicisset *&c. Ex recẽtioribus, alios om*

mit-

mittã, Guicciardinus iudicat, dũ Venetos male Petri Mediceo consuluisses ostendit, vbi multa oratione docet cõsilium vtilius esse viro prudenti, quam imprudenti. Iudicat quoq; in narratione pugnæ Tarensi de potestate fortunæ in rebus præsertim bellicis, & alibi de ijs, qui dubitare videntur de prouidentia, aut iustitia diuina, & Comineus adeo sæpe iudicat, vt stomacum moueat, libris tamen quatuor primis de bello Neapolitano ab iudicijs, alijsq; digressionibus abstinet, breuesq; tantum aliquas sententias inserit: verum quinto libro rursus terminos Historicos trãsiliens longissime digreditur, crebraq; adhibet iudicia: itaut ad præcepta, iudiciaque inserenda Historias composuisse videatur. Guicc. Lib.1. Lib.2. Lib.6. Comin. Lib.5.

De Præceptis. Cap. XXXIX.

SAtis vt arbitror ostensum est suo loco Historiam esse actiuæ philosophiæ partem, quæ narratione rerum gestarum exempla sufficit, quibus præcepta probentur in parte præceptiua: quare longa non eget demonstratione, vt ostendatur ad Historiam non pertinere præcepta; hoc enim modo partes facultatum confunderentur: Propterea videmus in alijs quoq; narrationibus, quas esse partes alicuius scientiæ, vel facultatis ostendimus, idem esse obseruatum; nam in Historia de animalibus, plantisq; à sapientibus viris composita rerum rationes minime traduntur, quia illic proprius non est locus. Medici quoq; dum Historiam scribunt curationum, rationes rerum prætermittunt, quia aliud est Historiam tradere, aliud præcepta. Historia narrat euentus rerum versaturque in particularibus, at verò ars præceptiua argumentis vtitur, ac methodis probantibus laborat circa vniuersalia. Historia igitur non præcipit, distincta enim est ab ea parte, qua præcepta continentur, illiusq; adminiculum, & appendix quædam est, sed quæ contigerunt memoriæ cõmendat quibus pars actiuæ philosophiæ præce-

ptiua vtitur ad suas conclusiones probandas, vel etiam ciuilis vir ad suas operationes dirigendas, hanc enim duplicem vtilitatem præstare Historiam suo loco iam diximus.

Ex his fertur iudicium de Historicis.

Lib.5. IGitur digredi censendus est Dyonisius Halicarnasseus, qui dum de P. Valerio Poplicola loquitur, hac ait; *sed quę omnium illius viri laudum est admiranda, & quæ nondum est dicta, hanc non existimo esse prætereundam silentio, quia censeo hoc præcipue Historiarum scriptores docere non solum bello res gestas à claris Imperatoribus narrare, etsi quis institutum præclarum, ac salutare Ciuitatibus excogitatũ in lucem ediderit, sed etiam eorum vitæ rationem, si modesti, si temperantes fuerint, si patrios mores, & instituta perpetuo seruauerint ostendere:* *quibus verbis tres Historiæ species innui videntur ciuilis, militaris, moralis. Eadem fere commemorat non multo post. At verò si Polybij digressiones recensere velimus, quibus præcepta tradit, nimium opus excrescet: nonnullæ igitur exempli causa proponentur. Itaq; digreditur eo loco, vbi ait.*

Lib.1. Hęc si quis rectè considerare velit, multa inueniet ad humanæ vitæ commendationem vtilissima, *& quę sequuntur: quibus docet quomodo quis cautior, & prudentior fieri possit aliena, & propria experientia, licet aliena sit optabilior in*

Lib.3. *malis. Alio autem loco fuse ostendit, quæ sit differentia inter causam, principium, & occasionem, quę pertinent ad artem*

Lib.3. *Historicam. Digreditur quoq; non multo post, vbi ait.* Idcirco eos qui in rerump. administratione versantur intuere hęc diligenter, & exactissimo studio examinare decet, *& reliqua, quibus admonet Principes ne fœdus ineant, pacesuè faciant temere, ac sine cognitione voluntatis eius, cum quo, vel fœdus feriunt, vel pacem sanciunt. Nec minus multa*

extra rem eodem libro dicit, vbi incipit. Sed non deerunt fortasse qui hæc parum contendentes, me superuacue censeant huiusmodi rationes adeo diligenter inquirere; *Vbi postquam longissime belli Punici secundi causas prosecutus est, cõplura addit docẽs Historiæ quæ sit vtilitas, & quę in ea scribere profiteatur: & qua ratione scribendæ sint potius vniuersales Historia, quam particulares; de vniuersalibus autem qua ratione describendæ videantur multa in epitome lib. 8. quas autem circumstantias narrare oporteat: Habetur lib. 9. vbi multa præcipit de Historia, & alibi,* errat, *inquit,* si quis putat quicquam magis proprium optimi ducis esse officium, quam consilium, & naturam hostis intelligere; *quo loco disserit de officio ducis, dicitq; Annibalẽ ex cognitione naturæ, atq; ingenij Consulis Flaminij contecisse posse se optimam decertandi occasionem nancisci: Alibi autem multa precipit de silentio & occultatione consiliorum, quo vti debent Imperatores ibidemq; complura ad eosdem spectantia. Herodotus quoq; non minus extra rem, & Historicam narrationem multa dicit eo loco quo Solonem, Cresumq; disserentes inducit, ea enim omnia pertinent ad partem præceptiuam actiuæ philosophiæ; Ex recentioribus verò Historicis Philippus Comineus prę ceptionum plenus est; nam vt alias digressiones huiusmodi omittamus, certe digreditur, cum demittendis legatis disserit, ac de prope hostẽ non castrametando, eo quod multi fiant transfugę præsertim ab infirmioribus. Digreditur præcipiens, vbi ostendit, quam sit periculosum pugnam conserere cum ij, qui in ea fuerint victi, multarum necessario rerum, iacturam faciant, ac præsertim amicorum: digreditur vbi loquitur de Consiliarijs Principum longissima oratione: nec minus vbi de congressu Principum inter se, & quam diligenter vitandi sint, cum sæpius odia inde quam animorum conciliationes ortantur Præcipit quoq; multa de legatis Principum excipiendis, tractandisq;: at vero curiose nimis, & fortasse minus politice*

Lib. 3. Lib. 3. Lib. 9. Hærod. Lib. 1. Comin.

litice dicta sunt, quæ de exactionibus, ac tributis, præsertim vbi ostendit Principi non licere sine consensu subditorum vectigalia imponere; hæc enim non modò perniciosa sunt, verum etiam falsa, quemadmodum ostendam in ijs, quæ de Principatu.

De stilo, siue elocutione Historica. Cap. XL.

CVm satis esse dictum arbitremur de cæteris rebus, quibus fieri potest Historia commendabilis, reliquum est de locutione dicere, qua corpus Historicum vestiendum est, id verò tanti ponderis videtur, vt complures qui de componenda Historia scripsere, nihil fere aliud, aut pauca de alijs rebus, de stylo omnia dixerint: nobis autem in hoc non erit summopere laborandum, nam qua ratione stylus comparetur, quibus cõstet, & quæ sit illius natura, diximus abunde iã in libris de elocutione: quapropter hic tantum videre oportet qualis sit stylus, siue elocutio Historica, hæc enim est ratio qua hic agendum est de elocutione, non simpliciter, & absolute, vt nonnulli in Arte Rethorica & Poetica non laudabili consilio fecere: Dicamus itaq; sic: Historicum vti locutione oportet ad ea narranda, quorum alijs vult exhibere cognitionem: vt autem omnes res melius est optime facere quam male, vel mediocriter, ita quoq; de elocutione sentiẽdum, est autem commendabilior ornata quam inculta: igitur Historicum ornata locutione vti decet: Sunt autem ornamenta orationis perspicuitas, suauitas, grauitas; perspicuitas est ornamentum omnibus loquentibus commune; nam id prope ad locutionis essentiam accedit, vt alibi diximus: propterea illud ab Historico quoq; prætermittendum non videtur. Suauitas ad demulcendas aures, animumq; detinendum adhibetur, detinendus est autem non qui intentus est, sed inuitus, & renuens: at verò ad Historiam non nisi prudentię studiosi

Qua ratione sit agẽdum elocutione in arte Hist.

Ornamẽta locutionis.

Ornamẽtum suauitatis historię nõ est necessarium.

diosi accedunt, nam qui eam non appetunt in Historiæ lectione minime laborabunt, qui autem ita affecti Historiam legunt, vt scilicet ad aliorum exemplum vitam suam efforment, & quid sibi faciendum, vitandumuè cognoscant, ijs nullum est, vt detineantur narratione rerum gestarum necessariũ lenocinium; nam satis, superq; detinentur spe consequendi prudentiam; nec tamen iucunditate lectionis destituuntur, ea scilicet quæ à narratione rerum gestarum ducitur; quæ propter accidentium varietatem maxima est. Igitur suauitas orationis Poetæ quidem, atq; oratori necessaria videtur cum persuadere velint, auditoresq; vel inuitos oratione allicere ac detinere, Historico non item; ea tamen si vti velit nullum crimen subibit; nisi forte tantum in ea laboret, vt officiat grauitati; quod ornamentum Historicum maxime decet; idq; pluribus de causis, quæ diligenter sunt animaduertendę. Primum quidem cum oratio sit eorum, quæ significantur tamquam vestis quædam; qua conceptus, sensusuè animi indutus promit sese, & ad aures nostras adlabitur; quemadmodum maxime dedecens esset regiam personam vilibus, ac obsoletis tegumentis induere: eadem ratione si graues actiones plebeia, humiliq; oratione vestiamus, eruditorum censuram minime effugiemus; sunt autem actiones quas eligit Historicus grauissimæ: vt igitur rei congrua sit oratio necessarium est orationem quoq; illius esse grauissimam: præterea qui sapienter, prudenterq; loquitur orationem, vt potest, auditori accomodat, & puero pueriliter, vt intelligatur, & sapienti sapienter, & viro graui grauiter; sunt autem Historiarum lectores, & præsertim ciuilium, ac militarium grauissimi viri, Principes scilicet, atq; Imperatores, cum his autem plebeia vti oratione indecorum est: Præterea non omnium est Historias scribere, sed eorum tantummodo qui facta cognouerunt, & ex Arte sciunt explicare; huiusmodi autem non vulgares sunt, quemlibet autem vt in cæteris vitæ actionibus ita in oratione, quod eum decet seruare æquum videtur: præterea

Quomodo ornamentum orat. historiæ sit necessarium.

Ad vtilitatẽ Principũ, Imperat. pręcipue historia scribitur

rea quæritur in Historia finis, quæ prudentia est per exempla; hæc autem credita esse oportet; idq; in Historia plurimum esse conandum sæpius, iam diximus; inter ornamenta verò locutionis grauitas plurimum facit ad fidem, vt in Arte de elocutione ostendimus; graues enim viri maxime creduntur à falsitate abhorrere; graues autem ducimus qui grauiter loquuntur, cum orationem mores cuiusq; sequi vetus sit prouerbium: quapropter ornamentum grauitatis Historico tuēdum est, atq; conseruandum: huic autem plerumq; suauitas officit, propterea vel ommittenda est, vel temperanda prudenter: officit autem quia suauitas ad oblectendas præcipue, ac deliniendas aures adhibetur; est autem id seruile, nam adulationi proximum: propterea ad aures loqui adulatores dicuntur; à seruilibus autem officijs viri graues plurimum absunt; hi enim magnanimi sunt, magnanimus verò imperare vult, non seruire. Deniq; non sine summa cura, studioq; styli suauitas efficitur, quibus intentus animus, quæ maiora sunt facile obliuiscitur, vel inania, & nihil ad Historiam pertinentia sectatur; vt in multis Historicis qui orationes tam crebras, narrationes longissime petitas, descriptiones rerum superuacuas adsciscunt, videre possumus; quapropter perspicua grauiq; vti oratione Historicum decet: quæ autem ea sit ab elocutionis Arte petatur.

FINIS.



IN-

